# SANCTORUM PATRUM

## OPUSCULA SELECTA.

## XXIX.

# SANCTORUM PATRUM

## OPUSCULA SELECTA

AD USUM PRAESERTIM STUDIOSORUM THEOLOGIÆ.

XXIX.

EDIDIT ET COMMENTARIIS AUXIT

**H. HURTER S. J.,**

S. Theol. et Philos. Doctor, ejusdemque s. Theol. in C. R. Univers. Oenipont. Professor p. o.

---

Cum Approbatione Celsissimi et Reverendissimi Episcopi Brixinensis et Facultate Superiorum.

---

OENIPONTI.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

1875.

# S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI
HOMILIAE QUINQUE

## DE INCOMPREHENSIBILI

ET

## S. GREGORII THEOLOGI

VULGO **NANZIANZENI**
ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

## *ORATIONES THEOLOGICAE*

QUINQUE.

Franciscan Monastery
OAKLAND
Alameda Co., Cal.

LONDINI
apud David Nutt.

MEDIOLANI
apud Boniardi-Pogliani.

PARISIIS
apud P. Lethielleux.

---

GENIPONTI. TYPIS WAGNERIANIS.

#973

# Praefatio.

Post subtiles s. Anselmi de Deo meditationes jam ad planiora aliorum patrum scripta juxta methodum nobis praestitutam [1]) transeamus. Plura quidem *de Deo uno et trino* theologice expensa et discussa reperiuntur in prioribus opusculorum tomulis, ut in Augustini l. *de fide et symbolo* t. 6.; in praefatione t. 13. n. 4—10; in Augustini *Enchiridio* et in Fulgentii l. *de fide* seu de regula verae fidei t. 16. et in l. 3. historiae persecutionis vandalicae Victoris Vitensis t. 22., sed propter argumenti praestantiam, in cujus consideratione fidelis quivis, praesertim vero theologus, verseturoportet, alia quaedam aurea ss. patrum opuscula addemus. Et initio quidem celeberrimas tibi proponemus, benevole lector, quinque s. Joannis Chrysostomi *de incomprehensibili* scil. Dei natura contra anomaeos homilias [2]), ut semper memores simus qua modestia de Deo sentiendum, loquendum, disputandum sit. Eae ex eruditorum sententia inter praestantissima tanti doctoris opera sunt

1) Cf. praefationem t. 25. opusc. n. 1.

2) Cf. Fessler, Institut. patrol. 2, 89. annot. 2.

referenda. Numerantur quidem 12 *de incomprehensibili* homiliae contra anomaeos, sed quinque priores tantum agunt de hoc themate; in reliquis vero disputat quidem adversus anomaeos, sed totus pene est in probanda consubstantialitate Filii cum Patre et in solvendis anomaeorum contra hoc dogma difficultatibus et tricis. Habuit autem priores homilias 1—10. Antiochiae a. 386. et 387., reliquas Constantinopoli statim ab initio sui episcopatus a. 398. Has homilias excipient s. Gregorii Nazianzeni orationes quinque *de theologia* contra eunomianos et pneumatomachos Constantinopoli (a. 380.) pronunciatae, quae tantae admirationi seculis posterioribus fuerunt, ut Gregorius inde *Theologi* cognomen obtinuerit. In harum prima, quae veluti prooemium seu praefatio ceterarum est, ostendit, qualis esse debeat, qui de Deo sermonem instituere vult, regulasque nonnullas in disputationibus de fidei mysteriis servandas tradit. In secunda agit de Dei existentia deque ejus incomprehensibilitate. In reliquis divinarum personarum aequalitatem, Filii et Spiritus s. divinitatem tuetur, atque ad praecipuas adversariorum exceptiones respondet. Dabimus Billii interpretationem, quam tanti fecerunt maurini editores, ut illam retinuerint. Subinde tamen quaedam immutavimus, cum Billiana versio verbis abundet et ad paraphrasin accedat.

# SANCTI P. N.
# JOANNIS CHRYSOSTOMI
## ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

## HOMILIA I.

### De incomprehensibili contra anomaeos absente episcopo.

1. Quid est hoc? pastor abest, et tamen oves rectum ordinem apprime servant. Sane id quoque boni pastoris officium est, ut non tantum ipso praesente, sed etiam absente, omnem ovile diligentiam exhibeat. Irrationabiles quippe oves, cum is, qui ad pascua educturus est, abest, intra septa manere necesse est: vel si absque pastore e caula prodierint, longe aberrant et vagantur; hic autem nihil hujusmodi, sed etiam absente pastore, ritu et ordine multo solita pascua adiistis. Imo potius, pastor adest, etsi non carne, saltem affectu; etsi non praesentia corporea, vel ipso saltem tam congruente gregis ordine. Ideo-

que magis illum admiror beatumque praedico, quod tantum vobis studium indere potuerit. Nam exercitus ducem tum maxime suspicimus, cum etiam illo absente copiae suum servant ordinem. Hoc et Paulus in discipulis quaerebat, cum diceret: *Itaque, fratres mei, sicut semper obedistis, non ut in praesentia mei tantum; sed multo magis in absentia mea* (Philip. 2, 12). Quare *multo magis in absentia mea?* Quia praesente pastore, etiamsi lupus gregem invadat, facile procul ovibus repellitur; absente vero majus certamen inire gregem necesse est, nemine servante. Ad haec autem pastor cum grege mercedem, si praesens sit, partitur; sin absit, totum gregi boni operis meritum relinquere videtur. His nos alloquitur et doctor noster, et ubicunque tandem sit, nos jam nostrumque coetum mente revolvit, nec tam eos quibuscum jam praesens versatur, quam nos absentes respicit. Novi ferventem illius caritatem, igneam illam, ardentem atque insuperabilem, quam intimo animi alte defixam habet, magnoque studio colit. Probe quippe novit, ipsam esse caput bonorum omnium, radicem, fontem et matrem, qua destitutis ceterorum nulla nobis utilitas. Haec enim discipulorum Domini imago est, servorum

Dei character, indicium apostolorum. *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quod discipuli mei estis*: in quo, dic mihi? Num quod mortuos suscitetis, leprosos mundetis, aut daemones expellatis? Minime, inquit, sed his omnibus praetermissis: *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si vos invicem diligatis* (Joan. 13, 35). Illa quippe unius supernae gratiae dona sunt, hoc autem humanae etiam diligentiae est opus. Generosum autem non tam coelitus data munera secernere solent, quam propriis laboribus edita opera: quare non a signis, sed a dilectione discipulos suos internosci Christus ait. Hac enim praesente, nulla philosophiae pars possidenti deficit; sed universam ille perfectamque virtutem obtinet, quemadmodum absente vacuus bonis omnibus est. Quapropter Paulus ipsam laudat verbisque extollit; imo quantumvis dixerit, non ad dignitatem ejus attingit.

2. Quid enim huic par esse possit, quae prophetas totamque legem continet, et sine qua non fides, non scientia, non mysteriorum cognitio, non ipsum martyrium, non aliud quidpiam his potitum servare valeat? *Nam si tradidero*, inquit, *corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil*

*mihi prodest* (1. Cor. 13, 3). Et alibi rursum eam omnibus majorem, et bonorum esse caput ostendit dicens: *Sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur. Manent autem fides, spes et caritas, tria haec; major autem omnibus est caritas* (1. Cor. 13, 8). Sed non modicam nobis quaestionem haec de caritate dicta inducunt: nam quod prophetiae evacuentur et linguae cessent, nihil inde durum; cum enim haec munera postquam suum praestiterint usum, postea cessabunt, nihil verbo nocumenti afferre poterunt; siquidem jam prophetia non est, non linguarum munus, et tamen pietatis verbum non impeditur. Quod autem scientia destruatur, de illo quaestio movetur. Cum enim dixisset: *Sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt*, intulit, *sive scientia destruetur*. Si autem futurum est ut scientia cesset, non in melius, sed in pejus res nostrae cedent: sine illa quippe id quoque, quod homines simus, amittemus. *Deum enim*, inquit, *time, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo* (Eccle. 12. 13). Si itaque homo esse idem sit quod Deum timere, timor autem Dei ex scientia prodeat, scientiaque destruatur, ut ait beatus Paulus: tunc funditus peribimus, cum scientia

non erit, omniaque nostra defluent, ac brutis nihilo melioris erimus, imo multo pejoris conditionis. Hac enim re una illis praestamus, ut in aliis omnibus corporeis ab illis longe superamur. Quid igitur et de quo loquitur Paulus, cum ait, *scientia destruetur?* Non de universali, sed de particulari quadam scientia loquitur, destructionem vocans progressum in melius; ita ut particularis illa destructa, non amplius sit particularis, sed perfecta. Quemadmodum enim puerilis aetas destruitur, non deleta substantia, sed aucta statura et in virum perfectum evadente, sic et in scientia evenit. Parva, inquit, haec non ultra parva erit, quando deinceps magna efficietur: sic intelligendum illud *destruetur*: quod clarius in sequentibus explicavit. Ut enim, cum audis *destruetur*, non omnimodam destructionem esse putares, sed incrementum quoddam et progressum in melius, postquam dixerat *destruetur*, addidit: *Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte est;* ita ut non ultra ex parte sit, sed perfectum. Itaque imperfectio ejus destruitur, ut non ultra sit imperfectum, sed perfectum. De-

structio igitur est complementum et in majus augmentum.

3. Atque animadverte mihi Pauli prudentiam: non enim dixit: Partem cognoscimus, sed *ex parte cognoscimus*, ostendens nos partis partem tenere. Fortasse audire optatis, quantam retineamus partem quantamque relinquamus, et an majorem minoremve partem teneamus. Ut itaque discas te minorem tenere partem, et non tantum minorem, sed, ut ita dicam, centesimam aut decies millesimam, audi quae sequuntur: vel potius antequam vobis apostolicam vocem legamus, exemplum referam, quo vobis declaretur, ut exemplo fieri potest, quantum relictum sit, et quantum sit quod nunc retinemus. Quantum igitur discrimen est inter eam, quae nobis in futuro dabitur, scientiam et praesentem? Quantum inter virum perfectum et lactentem: aeque enim praestat praesenti futura scientia. Quod autem id verum sit, eaque sit illius praecellentia, Paulus iterum declaret: cum enim dixisset, *ex parte cognoscimus*, et vellet ostendere ex quanta parte, nosque brevissimam nunc tenere, intulit: *Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus: cum autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli*

(1. Cor. 13, 11), cum statu parvuli praesentem scientiam, cum perfecti viri statu futuram comparans. Neque dixit: Cum essem puer: nam et duodecim annorum puer dicitur; sed *cum essem parvulus*, id est, lactens et infans. Quod enim Scriptura talem vocet infantem, audi Psalmum dicentem: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super coelos. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (Psal. 8, 2. 3). Vides jam parvulum pro lactente ubique vocari. Tum Spiritu prospiciens futurorum hominum impudentiam, neque hoc uno contentus exemplo, secundum etiam ac tertium ad confirmationem addidit. Quemadmodum enim Moyses cum ad judaeos mitteretur, trium signorum indicium accipiebat (Exod. 3), ut si primo non crederent, secundi vocem audirent; sin etiam hoc aspernarentur, tertio pudefacti prophetam reciperent; ita et hic tria ponit exempla; primum ex parvulo, dum ait, *Cum essem parvulus, sapiebam ut parvulus*: secundum ex speculo, tertium ex aenigmate. Postquam dixerat enim, *Cum essem parvulus*, intulit, *Videmus autem nunc per speculum in aenigmate.* En quippe secundum exemplum infirmitatis praesentis:

quodque imperfecta sit scientia, tertio probatur his verbis, *In aenigmate.* Namque parvulus multa quidem videt, audit et loquitur: nihil tamen dilucide vel videt, vel audit, vel loquitur: et sapit quidem sed nihil integre: ita et ego scio quidem multa, sed eorum non novi modum: Deum enim ubique esse novi, totum item ubique esse novi: quomodo autem, nescio: sine principio, non genitum, sempiternum novi; quomodo autem, nescio. Neque humana ratio capere valet, quomodo possit esse substantia, quae nec a se ipsa, nec ab alio quopiam esse acceperit. Scio ipsum genuisse Filium; quomodo autem, ignoro: novi Spiritum ex ipso esse; quomodo autem ex ipso sit, nescio. Cibos comedo; quo pacto autem dividantur in pituitam, sanguinem, humorem et bilim, ignoro. Haec quae quotidie comedentes videmus, ignoramus tamen, et Dei substantiam curiose scrutamur?

4. Ubi sunt igitur, qui se totam scientiam accepisse dicunt, quique tamen in barathrum ignorantiae delapsi sunt? Nam qui nunc dicunt se totum accepisse in futuro se omnimoda scientia vacuos constituunt. Ego quippe qui dico me ex parte cognoscere, etsi dicam hanc scientiam destructum iri, in melius ac perfectius progredior, utpote cum destructa

particulari scientia, perfectior accedat: ille vero qui dicit se totam, omnimodam et perfectam habere scientiam, et postea fatetur ipsam in futuro destructum iri, se scientia vacuum futur m esse declarat, cum haec destruenda nullaque alia perfectior inducenda sit: siquidem haec secundum illos perfecta scientia est. Videtisne quo pacto dum se totum hic habere contendunt, neque hic obtineant, atque illic se toto destituant? Tantum scilicet malum est intra limites non manere, quos a principio constituit nobis Deus. Sic et Adam spe amplioris, quem habebat honorem perdidit. Idipsum et avaris accidit: multi saepe majora cupientes, praesentia amiserunt Eodem modo et isti, dum se totum hic assequi posse sperant, parte quoque illa excidunt. Quamobrem hortor eorum insaniam fugiatis: extremae quippe insaniae est contendere, quid Deus substantia sit, se probe scire. Ut autem scias id extremae dementiae esse, a prophetis demonstrabo. Prophetae quippe non modo quid substantia sit ignorare videntur, sed et de sapientia ejus, quanta scilicet sit, haerent: quamquam non a sapientia substantia, sed a substantia sapientia sit. Cum autem ne hanc quidem prophetae accurate capere possint, quantae dementiae fuerit existimare quempiam

se posse ipsam substantiam propriis subjicere ratiociniis? Audiamus igitur quid de illa propheta dicat: *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Vel potius altius sermonem repetamus: *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es* (Psal. 138, 6 et 14). Quid est illud, *terribiliter?* Multa nunc miramur, sed non cum timore; verbi gratia columnarum pulchritudinem, figurarum picturam, flores corporum: miramur item maris magnitudinem, immensosque gurgites, sed cum timore quando profunditatem ejus inspicimus. Sic itaque propheta in vastum et immensum Dei sapientiae pelagus inspiciens, seu vertigine captus: cum timore magno stupens recessit clamans: *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua;* ac rursum: *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam.* Vide gratum famuli animum: ideo gratias tibi ago, inquit, quia incomprehensibilem habeo Dominum. Non de substantia hic loquitur, id enim, quasi in confesso esset incomprehensibile esse, praetermisit: sed his declarat Deum ubique esse, ostendens se neque capere posse quomodo ubique sit. Nam quod hac de re loquatur audi in sequentibus: *Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades*

(Ibid. 8). Videne quomodo ubique adsit? At hoc propheta non novit, sed caligine perfusus haeret et timet vel ex ipsa rei cogitatione. Quomodo igitur non summae dementiae fuerit, eos qui ab illius gratia tantum absunt, ipsam Dei substantiam curiose scrutari? Et tamen hic ipse est propheta, qui dicit: *Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi* (Psal. 50, 8). Attamen cum incerta et occulta sapientiae ejus edidicisset, illam ipsam dicit immensam et incomprehensibilem esse. Nam *magnus Dominus*, inquit, *et magna virtus ejus, et intelligentiae ejus non est numerus* (Psal. 144, 3.), id est, non est comprehensio. Quid dicis? Sapientia ipsi prophetae incomprehensibilis est, et substantia nobis est comprehensibilis? Annon haec aperta insania est? Magnitudo ejus non habet terminum, et tu substantiam ejus circumscribis?

5. Haec Isaias quoque philosophabatur his verbis: *Generationem ejus quis enarrabit?* (Isai. 53, 8). Non dixit, quis enarrat? sed, *Quis enarrabit*, ut futurum prorsus excluderet. David quidem ait: *Mirabilis facta est scientia tua ex me* (Psal. 138, 6); Isaias vero non a se ipso tantum, sed a tota humana natura hanc narrationem secludi ait. At videamus num Paulus, utpote majorem nactus

gratiam id noverit. Hic sane est qui dicit: *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus.* (1. Cor. 13, 9). Neque hic tantum, sed alibi quoque, non de substantia, sed de sapientia loquens illa, quae in providentia conspicitur, non de universali, quae angelis, archangelis et supernis potestatibus prospicit, sed illam providentiae partem expendens, qua hominibus in terra providet, neque tamen hanc totam examinat, qua solem oriri facit, qua animas inspirat, qua corpora efformat, qua homines alit in terra qua mundum continet qua annuam praebet escam. sed his missis omnibus expensa quadam modica providentiae ejus parte, qua judaeos ejecit gentilesque recepit, et ad illius solum partis quasi ad immensi pelagi aspectum caligine repletus, ac si vastum gurgitem inspiceret, statim resiliit, et voce magna clamavit: *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus* (Rom. 11, 33)! non dixit, incomprehensibilia, sed *inscrutabilia*: quod si scrutari non possimus, multo minus comprehendere possumus. *Et investigabiles viae ejus.* Viae ejus investigabiles, et ipse comprehensibilis, dic mihi? Ecquid de viis loquor? praemia nobis reposita incomprehensibilia sunt: *Oculus enim*

*non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quae praeparavit Deus diligentibus se* (1. Cor. 2, 9). Sed donum ejus inenarrabile: *Gratias enim Deo*, inquit, *de inenarrabili ejus dono* (2. Cor. 9, 15); et *Pax ejus superat omnem intellectum* (Philip. 4 7). Quid ais, judicia ejus inscrutabilia, viae ejus investigabiles, pax ejus superat omnem intellectum, donum inenarrabile est, quae praeparavit Deus diligentibus se in cor hominis non ascenderunt, magnitudinis ejus non est finis, prudentiae ejus non est numerus, omnia incomprehensibilia, ipse solus comprehensibilis? Ecquis hic est furoris excessus? Retine haereticum, ne sinas abire: dic, quid ait Paulus? *Ex parte cognoscimus*: non de substantia, inquit, id dicit, sed de dispensationibus: optime, si de dispensationibus sermo esset, major nobis pateret ad victoriam aditus. Nam si dipensationes incomprehensibiles sunt, multo magis ipse. Quod autem hic non de dispensationibus loquatur, sed de ipso Deo, audi quae sequuntur. Cum enim dixisset, *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus*, intulit, *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* A quo igitur cognitus est, a Deo, an a dispensationibus? A Deo sane; Deum igitur

ex parte cognoscit; ex parte vero dixit, non quod aliud ex ejus substantia cognoscat, aliud ignoret, Deus enim simplex est; sed quod quidem sciat Deum esse, quid autem quoad substantiam sit ignoret: sapientem esse scit, sed quantum sit sapiens nescit: magnum esse non ignorat, quantum vero magnus, et quanta sit ejus magnitudo nescit: quod ubique sit novit, quo pacto autem, nescit: quod provideat, quod omnia contineat et accurate servet, non nescit, quo autem modo id faciat, nescit. Ideo dicebat: *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (1. Cor. 13, 9).

6. Verum, si placet, dimisso Paulo atque prophetis, ascendamus in coelos: an forte quipiam ibi sint, qui Dei substantiam norint. Licet si qui ibi sint qui norint, nihil commune nobiscum habent: magnum enim discrimen angelos inter et homines. Verum ut ex abundanti discas, nullam ibi creatam virtutem id nosse, ipsos audiamus angelos. Quid igitur? an de substantia illa ibi disserunt et quaestionem mutuo habent? Minime. Sed quid? glorificant, adorant, triumphalia et mystica cantica perpetuo et cum multo tremore emittunt: et alii quidem dicunt: *Gloria in altissimis Deo* (Luc 2, 14); Seraphim vero, *Sanctus, sanctus sanctus*

(Isaï. 6, 3.) et oculos avertunt, cum Dei illam attemperationem ne ferre quidem valeant; Cherubim autem, *Benedicta gloria ejus ex loco ejus* (Ezech. 3, 12). Non quod loco opus sit Deo, absit; sed ut humano more dicamus, ubicunque sit, et quomodocunque sit: si tamen illud de Deo tuto dici possit, humanam quippe linguam habemus. Vidistine quantus timor in coelis, quantus contemptus in terra [1])? Illi glorificant, hi curiose inquirunt; laudant illi, hi multas movent quaestiones; illi oculos obtegunt, hi in gloriam inenarrabilem inspicere impudenter conantur. Quis non ingemuerit? quis non luxerit eorum insaniam extremamque amentiam? Volebam rem prolixius agere: sed quando nunc primum in haec certamina descendi, e re vobis fore puto si praemissis contenti sitis; ne eorum quae dicenda supersunt copia, multo impetu succedens, eorum memoriam detrahat. Plane, si Deus permiserit, hoc argumentum diu tractabimus. Equidem jam pridem vobis hos conferre sermones cupiebam: sed cunctabar et procrastinabam, quia multos eo morbo laborantes videbam nobis cum voluptate aures

---

1) *Quantus contemptus in terra* scil. penes anomoeos.

praebere: cumque nollem praedam abigere, interim linguam ab his concertationihus coërcebam, ut cum illos firmius detinerem, tunc in arenam descenderem. Quoniam vero per Dei gratiam illos audivi hortantes, ut in hoc certamen descenderem, me demum fidens ad pugnam accinxi, armaque arripui illa, quae purgant rationem et omnem celsitudinem, quae extollitur contra scientiam Dei. Haec porro assumpsi arma, non ut ferirem adversarios, sed ut jacentes erigerem. Haec est autem armorum hujusmodi vis, ut contentiosos feriant, eos vero qui benevolo audiunt animo cum multa diligentia curent: vulnera non infligunt, sed curant.

7. Ne igitur adversus illos ferociamus, ne cum furore illos adoriamur, sed modeste cum illis disseramus. Nihil quippe modestia et mansuetudine validius est. Quamobrem Paulus cum multo studio haec observare jubet his verbis: *Servum Domini non pugnare oportet, sed mansuetum esse erga omnes* (2. Tim. 2, 24). Non dixit erga fratres tantum, sed erga omnes: ac rursus, *Modestia vestra nota sit* (Philip. 4, 5), non fratribus, sed *omnibus hominibus*. Quae enim utilitas est, inquit, si eos diligitis, qui vos diligunt. Si itaque amicitiae eorum detrimento sint, et

ad impietatis societatem pertrahant, licet illi parentes sint, resilias oportet; si oculus sit, erue illum. *Si enim*, inquit, *oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum* (Matth. 5, 29). Non id de corpore dicens: quo pacto enim? Nam si id de corporis natura dixisset, crimen in naturae conditorem transferretur: alias non unum erui oporteret: licet enim sinister relinqueretur, pari modo ille hominem scandalizaret; sed ut discas non de oculo sermonem esse, dextrum adjecit: quo ostenderet, ut si amicum quempiam oculi dextri loco habeas, et hunc ejicias et ab amicitia tua exscindas, si te scandalizet. Quid enim juvat oculum habere in perniciem reliqui corporis? Si itaque amicitiae noceant, fugiamus et resiliamus; sin nobis ad pietatis rationem nullum damnum inferant, ipsos ad nos alliciamus et pertrahamus; quod si nihil illum juves, et ab ipso laedaris, id lucri referas. ut per sectionem sine jactura maneas. Et fuge illorum amicitias, si noceant: fuge tantum, nec pugnes neque concertes, sic Paulus monet his verbis: *Si possibile est, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (Rom. 12, 18). Servus es Dei pacis. Ille qui daemones ejiciebat et innumera operabatur bona, cum eum daemoniacum appellarent,

non fulmen emisit, non conviciatores contrivit, non linguam illam combussit, usque adeo impudentem et ingratam, licet haec omnia facere posset; sed accusationem solum depulit dicens: *Ego daemonium non habeo, sed honorifico eum, qui me misit* (Joan. 8, 49). Cum autem servus pontificis illum percussit, quid ait? *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me caedis* (Ib. 18, 23)? Quod si Dominus angelorum se excusat, et rationem famulo reddit, non opus oratione longiori. Haec solum verba mente revolve, ac frequenter meditare, et dic: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis?* Et cogita quis loquatur, ad quem loquatur et qua de re; eruntque tibi verba isthaec divinum quoddam et perpetuum canticum, atque omnem animi tumorem sedare poterunt. Cogita dignitatem ejus, qui affectus est contumelia, laedentis vilitatem, contumeliae gravitatem. Non enim contumelia affecit tantum, sed percussit; non percussit tantum, sed et alapam dedit; hujusmodi autem percussione nihil ignominiosius. Attamen omnia tulit, ut majori exemplo moderate agere disceres. Haec non hoc tantum loco philosophemur, sed suo tempore horum recordemur. Laudastis ea quae

dicta sunt, sed operibus laudem exhibete. Athleta quippe in palaestra exercetur, ut in certaminibus exercitationis utilitatem commonstret. Et tu ergo eorum, quae audisti, invadente ira, lucrum exhibe: et hoc dictum frequenter in ore habe: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis* (Joan. 18, 23)? Hoc in mente describe. Nam ideo vobis haec verba frequenter commemoro, ut omnia quae dicta sunt, in mente reponantur, et nunquam ex memoria deleantur, exque recordatione utilitas sequatur. Nam si haec verba in latitudine mentis nostrae descripta habeamus, nemo ita lapideus et ingratus, atque sensus expers, ut ira efferatur: nam vice freni et habenarum haec verba lĭnguam, ultra modum et terminos evagantem, coërcere poterunt, mentemque tumentem reprimere, et in moderato vitae genere perpetuo continere, pacemque in nobis integram constituere, qua utinam semper fruamur, gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre simulque Spiritu sancto gloria, imperium et adoratio, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

# HOMILIA II.

Cum ante multos dies contra anomoeos dixisset, deinde contra judaeos, hinc propter episcoporum praesentiam multorumque martyrum interjectam memoriam silnisset, nunc rursum contra anomoeos de incomprehensibili.

1. Age iterum adversus infideles anomoeos certamen ineamus: qui si indigne ferant se infideles vocari, rem ipsi fugiant, et ego nomen obtegam. Absistant ab infideli mente et absistam a contumelioso vocabulo. Sin autem ipsi operibus fidem inhonorantes, seque ipsi turpitudine replentes, nullo pudore afficiuntur, cur mihi succenseant, si verbis ea objiciam, quae operibus ipsi exhibent? Nuper enim cum in hujus disputationis arenam descendimus, ut meministis, et eadem certamina inivimus, pugnae contra judaeos nos statim exceperunt quod tutum non esset propria membra aegrotantia negligere. Nam sermones contra anomoeos semper opportuni sunt: tunc autem fratres nostros quosdam aegrotantes et judaïco morbo laborantes [1]), nisi

1) *Judaico morbo laborantes*, qui nimirum pascha

praeoccupantes statim ex incendio judaïco eruissemus, nihil juvare deinceps poterat admonitio, cum jam illud peccatum circa jejunium admisissent. Post commissa adversus illos praelia, nos patrum spiritualium diversis ex locis adventantium frequentia rursum excepit. Neque enim tunc opportunum fuisset, illis ceu fluminibus in hoc spirituale mare confluentibus, nostrum sermonem extendi. Post illorum profectum, martyrum memoriae frequentes adventarunt: athletarum hujusmodi laudem negligi non oportuit. Haec autem dico et numero, ne putetis nos ex segnitie et desidia quadam certamina illa distulisse. Nunc itaque quandoquidem a pugna cum judaeis liberi sumus, patresque in patriam suam reversi sunt, ac martyrum laudes nos satis delectarunt: age diuturnum vestrum audiendi desiderium expleamus: probe quippe novi non minus vos hac de re audire cupere, quam me disserere. Cujus rei causa est, quod urbs nostra jamdiu Christi amans sit, hanc porro paternam hereditatem accepistis, ut nunquam religionis dogmata adulterari patiamini. Unde id liquet? Descenderunt olim

---

cum judaeis celebrabant, et hinc jejunium quadragesimale ante reliquos fideles incipiebant ac similiter ante reliquos finiebant.

quidam a Judaea (Act. 15, 1.) majorum vestrorum tempore, pura apostolicae doctrinae dogmata turbantes, praecipientesque circumcisionem ac legis mosaïcae observationem, quam novandi cupidinem silere non potuerunt, qui tunc urbem vestram incolebant: sed quemadmodum generosi canes, qui lupos viderent irruere et totum gregem devastare; sic illos adorti, non prius destiterunt illos abigere et expellere, donec curarent, ut ab apostolis dogmata per orbem terrarum quoquoversum mitterentur, quae cum illos, tum post accessuros omnes, talem adversus fideles incursum suscipere ausos, coërcerent.

2. Undenam igitur disputationem adversus illos ordiemur? Unde, inquam, nisi ab infidelitatis crimine? Nihil enim non agunt et moliuntur, ut fidem ab auditorum mente excludant, quo crimine quid gravius contra religionem esse possit? Cum enim Deus quidpiam sancit, quod dicitur, fideliter accipiendum est, nec audacter disquirendum. Vocet me quivis ex illis infidelem, non indigne fero. Quare? Quia operibus, qui sim appellandus ostendo. Et quid dico vocet me infidelem? me stultum in Christo appellet: et hac de re, quasi de corona gloriabor, etenim cum Paulo in partem ejusdem appellationis venio. Ait

quippe: *Nos stulti propter Christum* (1. Cor. 4, 10). Haec stultitia omni sapientia prudentior est: nam ea, quae externa sapientia [1]) invenire non potuit, haec secundum Christum stultitia perfecit. Haec tenebras abegit ex orbe, haec lumen scientiae revocavit. Quid porro est stultitia secundum Christum? Cum proprias cogitationes intempestive furentes comprimimus, cum mentem nostram externa disciplina vacuam efficimus; ut cum oportuerit Christi doctrinam excipere, vacantem illam et mundatam pro divinis admîttendis verbis exhibeamus. Nam cum Deus aliquid sancit, quod non debeat curiosius explorari, fide accipiatur oportet. Etenim de hujusmodi rebus curiose perquirere et rationes exposcere modumque sciscitari, audacissimi et temerarii animi est. Quod et ipsum ex sacris Scripturis explanare tentabo. Zacharias vir quidam erat admirandus et magnus, summo sacerdotio ornatus, cui a Deo totius populi praefectura commissa fuerat. Is in Sancta sanctorum in ipsaque adyta ingressus quae

1) *Externa sapientia*, sapientia mundana, sapientia philosophorum gentilium. Ita etiam infra *externa disciplina*, vivendi ratio propria gentilium, vivendi ratio carnalis et secundum spiritum hujus mundi nequam.

ipsi uni fas erat aspicere (intellige eum universae multitudini parem fuisse [1]) ita ut supplicationes pro multitudine tota offerret Deo, et Dominum famulis propitium redderet). Vidistine fiduciae magnitudinem? Quasi mediator quidam Dei et hominum, vidit angelum intus stantem, et quia hic aspectus virum in stuporem conjecit, ait ille: *Ne timeas, Zacharia, quia exaudita est oratio tua; et ecce gignes filium* (Luc. 1, 13). Quaenam haec consecutio? pro populo rogabat, pro delictis supplicabat, veniam postulabat conservis; et *Noli timere*, inquit, *Zacharia, exaudita est enim oratio tua*, et ipsum exauditum fuisse inde comprobat, quod nasciturus esset ipsi filius nomine Joannes; ac jure quidem merito. Quia enim pro peccatis populi rogabat, filium editurus erat, qui clamaret: *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (Joan. 1, 29) jure ait, *Exaudita est oratio tua, et gignes filium.* Quid igitur ille? Quod enim proponimus tale est, nullam veniam dari eis, qui modum oraculorum divinorum curiosius scrutantur; sed eorum sen-

1) *Universae multitudini parem fuisse.* Tantae auctoritatis fuit Zacharias apud Deum, ut ipse unus et solus par fuerit ad intercedendum pro universa multitudine.

tentiam fide accipiendam esse. Videbat aetatem suam, canitiem, corpus imbecillum: videbat item uxoris sterilitatem; modum discere voluit et ait: Unde hoc sciam (Luc. 1, 18)? Quomodo illud erit? jam consenui et incanui, et uxor mea sterilis, provecta in diebus suis, aetas inepta, natura imbecilla: qua ratione possunt expleri promissa? Ego qui seram infirmus, quae seritur sterilis: annon videatur venia dignus, qui rerum consecutionem quaerat cum e re loqui videatur? At non Deo dignus venia visus est, et merito quidem. Cum enim Deus sententiam dicit, non contra ratiocinandum, neque rerum consecutio vel naturae necessitas objicienda est, neque hujusmodi quidpiam agendum: his quippe omnibus superior est divinae sententiae vis, nulli obnoxia impedimento Quid agis, homo? Deus pollicetur, et ad aetatem confugis et senectutem objicis? Num potentior senectus Dei promissione? Num validior natura creatore suo? Nescis fortia esse verborum ejus opera? Verbum ejus coelum constituit: verbum ejus creaturam produxit, verbum ejus angelos fecit, et tu de filii procreatione dubitas? Ideo indignatus est angelus, neque sacerdotii causa pepercit; imovero ob idipsum graviorem intulit poenam. Nam eum, qui plus ceteris obtinebat

honoris, majore, quam alii, fide instructum esse oportebat. Quis autem poenae modus? *Ecce eris tacens, et non poteris loqui* (Ibid. 20). Lingua tua, inquit, incredulitatis tuae ministra fuit, ipsa incredulitatis poenas luet. *Ecce eris tacens, et non loqueris donec illa fiant.* Animadverte benignitatem Domini. Non credis mihi, inquit, nunc poenam accipe; cumque rebus ipsis veritatem comprobavero, tunc iram solvam: cum didiceris te jure plexum fuisse, tunc a poena te liberabo. Audiant anomoei, quantum irascatur Deus, cum de se curiosius inquiritur. Quod si ille, quia mortali generationi non crederet, plectitur, tu qui arcanam illam et supernam perscrutaris, quomodo supplicium effugies, dic mihi? Ille nihil asseruit, sed ediscere voluit, veniamque consecutus non est: tu vero ea, quae omnibus invisibilia incomprehensibiliaque sunt affirmans, quam habebis defensionem? Quod non tibi pertrahes supplicium?

3. Verum haec de generatione disputatio suum in tempus reservetur, interimque prius argumentum repetamus, cujus nuper reliquias dimisimus, dum perniciosam illam radicem, omnium malorum matrem, evellere conaremur. Undenam illis haec dogmata suborta sunt? Quaenam illa radix malorum omnium?

Credite mihi? me illam pronunciaturum horror occupat: piget ea narrare quae illi semper meditantur. Quaenam igitur est horum malorum radix? Ausus est homo dicere, Deum novi, ut ipse Deus se ipsum novit. Haeccine confutatione indigent? haeccine demonstratione? Annon satis est haec solum verba proferre, ut tota eorum impietas reveletur? Etenim haec insania est perspicua, amentia inexcusabilis, novus impietatis modus. Nemo quidpiam hujusmodi vel mente concipere, vel lingua proferre ausus est. Cogita, miser et infelix, quisnam sis, et quemnam tam curiose scruteris: homo cum sis Deum exploras. Vel nomina mera satis sunt, ut stultitiae magnitudinem declarent. Homo terra et cinis, caro et sanguis, foenum et flos foeni, umbra, fumus, vanitas, et si quid his obscurius et vilius. Neque putetis haec incusandae naturae causa dici: neque enim ego, sed prophetae ita philosophantur, non ut genus nostrum dedecore afficiant, sed ut insanorum tumorem comprimant; non ut naturam nostram contemnant, sed ut furiosorum arrogantiam dejiciant. Nam si postquam illi tot tantaque dixere, reperti tamen sunt qui verborum petulantia ipsum diabolum superarunt; si nihil ejusmodi dictum fuisset, quo tandem amentiae

non prorupissent? Si appositam habentes medicinam, adhuc tamen inflantur, quo demum tumoris et arrogantiae non processissent, nisi talia illi circa naturam humanam protulissent? Audi igitur quid de se ipso dicat justus ille patriarcha. *Ego autem sum terra et cinis.* (Gen. 18. 27). Cum Deo loquebatur, neque tamen confidentia efferebatur. Imo vel hoc ipsum ut moderate ageret ipsi suadebat. Hi vero qui ne umbra quidem illius digni sunt, se angelis ipsis majores esse putant. quod extremae dementiae argumentum est. Deumne scrutaris, dic mihi, qui sine principio est, invariabilis, incorporeus, incorruptibilis, qui ubique adest, et omnia superat, universaque creatura superior est? Audi quid de illo prophetae philosophentur, et metue: *Qui respicit terram, et facit eam tremere* (Psal. 103. 32). Aspexit solum, et illam tantam terram concussit: *Qui tangit montes et fumigant. Qui concutit terram a fundamentis, et columnae ejus nutant: qui minatur mari et siccat illud. Qui dicit abysso: Desolaberis* (Job. 9, 6). *Mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retrorsum. Montes exsultaverunt sicut arietes, et colles sicut agni ovium* (Psal. 113, 3, 4). Omnis creatura movetur metuit, contremiscit: hi

soli despiciunt, negligunt, salutem suam parvi faciunt: non enim dixerim, Dominum omnium. Nuper eos a supernarum virtutum exemplo admonebamus, angelis, archangelis, Cherubim et Seraphim: nunc vero ab insensibili creatura, neque tamen sic afficiuntur pudore. Annon vides hoc coelum, quam pulchrum, quam magnum, quam vario choro stellarum coronatum: quantum temporis duraverit? Plus quinque millibus annis stetit, et diuturnitas temporis nullam ipsi senectutem invexit: sed sicut corpus juvenile et robustum florem aetatis vigoremque servat; ita et coelum, quam ab initio habuit pulchritudinem conservavit, nec temporis diuturnitate ullatenus imbecillius evasit: sed illud ita pulchrum, magnum, laetum, stellis ornatum, perpetuum, tamdiu consistens, Deus, quem tu curiose scrutaris, et ratiociniorum tuorum limitibus subjicis, ita facile condidit, ac si quis tugurium ludens construeret: quam rem sic declarat Isaïas propheta: *Qui statuit coelum sicut cameram, et extendit illud sicut tabernaculum super terram.* (Isaï. 40, 22. sec. Septuag.). Visne terram quoque intueri? Hanc etiam quasi nihil fecit. Nam de illo quidem ait: *Qui statuit coelum sicut cameram, et extendit illud sicut tabernaculum*

*in deserto*: de hac vero: *Qui continet gyrum terrae, qui fecit terram quasi nihil.* Videsne quomodo *nihil* dixerit tantum tamque ingens corpus?

4. Cogita quantam montium molem, quot hominum nationes, quot plantarum varietatem et altitudinem, quot urbes, quot aedificiorum magnitudines, quot quadrupedum, ferarum, reptilium genera dorso suo sustinet. Attamem illam talem tantamque ita facile condidit, ut propheta cum tantae facilitatis exemplum non haberet, dixerit, eum fecisse terram quasi nihil. Cum enim visibilium magnitudo et pulchritudo non satis esset ad Creatoris potentiam declarandam, sed multo intervallo procul esset a magnitudine et robore ejus, qui ipsa condiderat, alium prophetae modum invenerunt, quo pro facultate sua possent aliquid amplius de Dei potentia declarare. Quodnam illud? Ut non modo creatarum rerum magnitudinem exponerent, sed etiam modum creationis efferrent, ut ex utraque parte, cum ex magnitudine opificiorum, tum ex creationis facilitate, pro captu nostro dignam possimus de potentia Dei notitiam accipere. Ne itaque opificiorum magnitudinem tantum explores, sed etiam condentis facilitatem. Neque solum in terra hoc depre-

henditur, sed et in ipsa hominum natura: modo enim ait: *Qui continet gyrum terrae, et habitantes in ea quasi locustas*; modo: *quasi stilla situlae omnes gentes in conspectu ejus* (Isaï. 40, 15—22). Ne minus considerate hoc dictum praetereas, sed excute et explora. Repete omnes gentes, syros, cilices, cappadoces, bithynos, Euxini Ponti incolas, Thraciam, Macedoniam, Graeciam omnem et insulas, italos, eos qui sunt supra continentem nostram, eos qui in insulis britannicis, sauromatas, indos, persas, aliasque innumeras gentes, et nationes quarum ne nomina quidem novimus. Verum hae *omnes gentes quasi stilla situlae*, inquit, *in conspectu ejus*. Quota pars es ejus stillae tu, qui Deum scrutaris, cui omnes gentes quasi stilla situlae? Ecquid oportet de coelo et terra dicere, de mari, deque hominum natura? Ascendamus in coelum mente, angelosque adeamus; scitis enim vel unum angelum parem esse toti visibili creaturae; imo longe praestantiorem. Nam si vel uno homine justo totus mundus dignus non sit, ut Paulus ostendit his verbis: *Quibus dignus non erat mundus* (Hebr. 11, 38), multo minus angelo dignus erit: angeli quippe multo praestantiores sunt justis. Attamen decem millies dena millia an-

gelorum sursum sunt, et millia millium archangelorum; itemque throni, dominationes, principatus et potestates, atque innumeri incorporearum virtutum populi tribusque inenarrabiles. Omnesque illas virtutes cum tanta facilitate condidit, quanta nullus sermo potest exprimere. Satis enim illi fuit ut vellet, et sicut apud nos voluntas nihil laboris affert; sic nullo ipse labore tot tantasque virtutes condidit. Quod declarans propheta dicebat: *Omnia quaecunque voluit fecit in coelo et in terra* (Psal. 134, 6). Videsne non ad terrenarum tantum rerum creationem, sed etiam ad creationem supernarum virtutum satis fuisse illius voluntatem? Haec cum audis, non te ipsum deploras, dic mihi? non te in terram defodis et obruis, cum in tantum arrogantiae proruperis, ut eum quem glorificare et adorare solum fas est, quasi unam vilissimarum rerum scruteris, et comprehendere coneris? Ideo et Paulus multa plenus sapientia, incomparabilem Dei excellentiam, simulque humanae naturae vilitatem intuitus, indignatusque adversus eos, qui ejus dispensationem curiosius explorarent, rem moleste ferens cum multa vehementia dicebat: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo* (Rom. 9, 20)? Tu quis es? Cogita prius naturam

tuam, nullum quippe nomen potest tuam vilitatem declarare.

5. At dices, homo sum libertate honoratus. Atqui honoratus es, non ut ea libertate ad repugnandum, sed ut ad obsequendum honoranti te illo utereris honore. Honoravit te Deus, non ut illum contumelia afficeres, sed ut illum glorificares; contumelia vero afficit is, qui substantiam ejus curiosius explorat. Nam si dum promissa ejus non exploras, illum gloria afficis; dum exploras et curiose inquiris, non sententias modo ejus, sed etiam eum qui ipsas protulit dedecore afficis. Quod autem Deum glorificet is, qui ejus promissa non curiose scrutatur, audi Paulum de Abrahamo deque ejus obedientia fideque in omnibus dicentem: *Consideravit quidem corpus suum emortuum, et emortuam vulvam Sarae: verum in repromissione Dei non haesitavit diffidentia, sed confortatus est fide* (Rom. 4, 19, 20). Natura et aetas, inquit, in desperationem ipsum conjiciebant, sed fides spem bonam substituebat. *Sed confortatus est in fide dans gloriam Deo, et plenissime sciens, quia quaecunque promisit, potens est et facere* (Ibid. 21). Videsne eum, qui certior est de rebus a Deo prolatis, gloriam Deo dare? Si itaque is, qui Deo credit, gloriam ipsi dat, qui non cre-

dit ipsi, contumeliam illam in suum ipse caput convertit. *Tu quis es, qui Deo respondeas?* Deinde ut ostendat quantum sit Deum inter et hominem intervallum, id demonstrat non quidem quantum oporteret, sed tamem ex proposito exemplo longe majus discrimen esse intelligi potest. Quid igitur ait? *Numquid dicet figmentum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* (Id. 9, 20, 21). Quid ais? Itane Deo debeo subjici, ut lutum figulo? Ita, inquit: tantum enim est Deum inter et hominem intervallum, quantum inter lutum et figulum; vel potius, non tantum, sed multo majus. Luti enim et figuli eadem substantia est, ut apud Job dicitur: *Sino*, inquit, *habitantes domos luteas, ex quo et ipsi sumus ex eodem luto* (Job. 4, 19). Quod si homo praestantior luto et formosior appareat, differentiam non diversitas naturae, sed artificis sapientia fecit: in nullo quippe differs a luto: quod si non credis: id tibi persuadeant tumuli et urnae sepulcrales. Nam si sepulcra majorum tuorum adeas, haec ita se habere deprehendes. Inter lutum itaque et figulum differentia nulla: inter Dei vero et hominis substantiam tan-

tum intervallum est, quantum nec oratione narrare, nec mente aestimare possumus. Quemadmodum igitur lutum figuli manus, quocunque ille duxerit sequitur; ita et tu luti instar mutus esto, quando Deus aliquid dispensare voluerit. Neque tamen ideo Paulus haec dixit, ut facultatem nostram tolleret, aut liberum arbitrium labefactaret, absit; sed ut arrogantiam nostram magis magisque coërceret. Verum si placet videamus, quidnam ipsi ediscere voluerint, ita ut ipsos Paulus tam vehementer refrenaret. An substantiam Dei scrutabantur? Nequaquam: nemo enim id unquam ausus est. Sed quod longe minus est, ejus dispensationes scrutabantur; verbi gratia, quare illum puniret, illius misereretur; quare illum supplicio eximat, hunc in aerumnis sinat; quare ille veniam sit consecutus, hic minime. Haec et similia quaerebant. Undenam id liqueat? ex praecedentibus. Cum enim dixisset: *Ergo quem vult miseratur, et quem vult indurat? Dices itaque mihi, quid adhuc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit?* Tunc intulit: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo* (Rom. 9, 18 et 20). Eos igitur, qui dispensationes Dei scrutabantur reprimit Paulus. Profecto ne id quidem illis concedit, tu vero beatam illam sub-

stantiam omnia dispensantem curiose scrutaris? Annon te sexcentis fulminibus dignum censes? Quomodo non id extremae dementiae fuerit? Audi prophetam vel potius Deum dicentem: *Si Pater ego sum, ubi est gloria mea? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus* (Malach. 1, 6). Qui enim metuit, non curiose scrutatur, sed adorat; non curiose inquirit, sed laudat et glorificat. Haec te doceant et supernae virtutes, et beatus Paulus: non enim cum hac de re alios increpat, ipse eodem quo illi modo affectus est. Audi quid philippensibus dicat, cum declarat se particularem scientiam habere: quemadmodum et corinthiis scribens dicebat: *Ex parte cognoscimus* (1. Cor. 13, 9), totum vero nondum: et nunc infert: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse* (Philip. 3, 13). Quid hac apertius voce? Tuba clarius cecinit, orbem totum instituens, ut datam scientiae mensuram diligerent et amplecterentur, nec existimarent unquam se totum accepisse. Quid ais, dic mihi? Christum habes in te ipso loquentem (2. Cor. 13, 3), et dicis: *Ego me non arbitror comprehendisse.* Ideo enim, inquit, dixi me Christum habere in me ipso loquentem. Ipse me haec docuit. Quamobrem hi, nisi Spiritus sancti auxilio prorsus vacui essent,

et omnem ejus operationem ex anima sua eliminassent, cum Paulus dicat, non arbitror me ipsum comprehendisse, non ipsi se universum comprehendisse putarent.

6. Undenam liquet, dicet quispiam, ipsum ita loquentem, de fide agere, de scientia et de dogmatibus, et non de vitae institutione, quasi dicat: Ego me imperfectum esse arbitror in vita et institutione? Id certe planum fecit cum dixit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiae* (2. Tim. 4, 7). Qui vero consummato cursu coronam accepturus est, nequaquam diceret: *Non arbitror me ipsum comprehendisse.* Alioquin autem quae agenda et quae non agenda sunt nemini sunt incerta; sed omnibus manifesta et nota et barbaris et persis et toti hominum generi. Ut autem id clarius reddam, quae hanc clausulam sequuntur legam. Postquam dixisset: *Videte canes, videte malos operarios* (Philip. 3, 2.) ac multa disseruisset deiis, qui judaïca dogmata intempestive inducunt, subjunxit: *Quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta: verumtamen existimo omnia detrimentum esse, ut inveniar non habens justitiam quae ex lege est; sed justitiam, quae*

*ex Deo est, quae per fidem Jesu Christi est* (Ibid. 7—9). Postea dicit de qua fide loquatur: *Ut eum cognoscerem, et potentiam resurrectionis ejus et societatem passionum ejus* (Philip. 3, 10). Quid est, potentiam resurrectionis ejus? Novus, inquit, resurrectionis modus ostensus est. Multi quidem antea mortui resurrexere, hoc autem modo nullus. Alii quippe omnes postquam resurrexerant, rursum in terram redierunt, ac mortis tyrannide ad tempus liberati, rursus sub ejus imperium redacti sunt. Corpus autem dominicum postquam resurrexerat, non in terram rediit, sed in coelos ascendit, et totam inimici tyrannidem solvit, atque secum totum orbem suscitavit, jamque in throno regio sedet. Haec omnia cum mente volveret Paulus, et ostendisset, tot tantaque mirabilia non ratione declarari posse, sed fide solum posse doceri et declarari, dicebat: *In fide ad cognoscendum potentiam resurrectionis ejus.* Si enim ratio ne resurrectionem quidem simpliciter spectatam assequi potest, quia et humanae naturae captum et communem rerum seriem superat; resurrectionem illam, quae tanto intervallo differt ab aliis resurrectionibus, quae poterit ratio demonstrare? Nulla certe: sed sola nobis opus est fide, qua per-

suasum habeamus, corpus mortale resurrexisse, et immortalem accepisse vitam nullum finem vel terminum habentem. Quod et alibi significabat his verbis: *Christus suscitatus non moritur: mors illi ultra non dominabitur* (Rom. 6, 9.); ita ut duplex fuerit miraculum, et resurrexisse, et illo modo resurrexisse. Ideo dicebat: *In fide ad cognoscendum potentiam resurrectionis ejus.* Quod si resurrectionem ejus non possumus ratione assequi, quanto minus supernam generationem? De his porro disputans Paulus, necnon de cruce et passione loquens, haec quoque ad fidem pertinere dixit; cumque de his sermonem habuisset, subjunxit: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse* (Philip. 3, 13). Non dixit, Ego non arbitror me scire, sed comprehendisse, neque omnimodam ignorantiam, neque omnimodam scientiam sibi adscripsit. Cum enim dicit: Non arbitror comprehendisse, significat se adhuc in via esse et ire ulteriusque progredi, sed finem nondum attigisse. Qua de re alios quoque admonet his verbis: *Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus: et si quid aliud sapitis, hoc Deus vobis revelabit* (Philip. 3, 15). Ratio non docet, sed Deus revelabit. Vides non de vita et moribus agi, sed de dogmatibus et

fide? Vita enim et mores non opus habent revelatione, sed dogmata et scientia. Et alibi quoque idipsum declarans dicebat: *Si quis existimat se aliquid nosse, nondum quidquam novit* (1 Cor. 8, 2). Non dixit simpliciter, nihil novit; sed, quemadmodum oporteat scire: scientiam quippe habet, sed non accuratam et perfectam.

7. Atque ut id verum esse discas, nihil de supernis disseramus, sed si vis ad visibilia deorsum sermonem convertamus. Non vides hoc coelum? Quod quidem camerae vel fornicis formam servet scimus: idque non ratiocinio sed ex Scriptura divina discimus: scimus item ipsum totam complecti terram, quia similiter ab eadem Scriptura id didicimus; cujus vero substantiae sit ignoramus. Si quis autem repugnet et contendat, dicat quae sit coeli substantia, an crystallus concreta, an nubes addensata, an aër crassior? Sed nemo id plane dicere potest. Num, quaeso, ulteriore opus est demonstratione ad eorum comprobandam insaniam, qui se Deum nosse dicunt? Coeli, quod quotidie cernis, naturam non potes dicere, et invisibilis Dei substantiam te probe nosse jactitas? Ecquis ita sensus expers, ut talia loquentium insaniam non damnet? Quapropter rogo vos omnes, ut mo-

derate et cum mansuetudine ipsos alloquentes, ceu phrenesi captos et furentes, ad meliorem frugem reducere curetis. Etenim hoc ipsis dogma ex arrogantia ortum est: maximoque illi animi tumore laborant. Vulnera autem tumescentia, neque sibi injici manus, neque tactum asperiorem patiuntur. Quamobrem periti medici molli quadam spongia haec abstergunt ulcera. Quoniam ergo inest ipsorum animis ulcus inflatum, quasi molli spongia dulcem potabilemque aquam haurientes, sicque abstersis omnibus, eorum tumorem comprimere omnemque livorem auferre satagamus: etsi contumelias inferant, etsi recalcitrent, etsi inspuant, etsi quidvis aliud faciant, ne curandi studium deseras, dilectissime: nam eos, qui furiosum curant hominem, multa similia ferre necesse est. Attamen non propterea desistendum; sed ideo maxime ipsorum miseriam lugere convenit, quia talis est hujus morbi species. Haec firmioribus et fortioribus loquor, qui nullum ex eorum colloquio accipere possint detrimentum. Itaque si quis infirmior sit, eorum consortium fugiat, ab eorum colloquiis resiliat; ne amicitiae ratio impietatis occasio evadat. Sic et Paulus facit, ipse quidem cum aegris versatur, et ait: *Factus sum judaeis tamquam judaeus; iis, qui*

*sine lege erant, tamquam sine lege essem* (1. Cor. 9, 20). Discipulos autem infirmiores avocat, hisque verbis monet ac docet: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava* (Ib. 15. 20); ac rursum: *Exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus* (2. Cor. 6, 17) Medicus enim si aegrotum adeat, et sibi et illi saepenumero prodest; infirmior autem et sibi et aegroto nocet, si cum aegris admisceatur: illum quippe nihil juvare poterit, ipseque ex aegritudine magnum hauriet nocumentum. Quodque ii patiuntur, qui lippientium oculos inspicientes illius sibi infirmitatis aliquid attrabunt, idipsum patientur ii, qui cum blasphemis illis hominibus versantur; si infirmiores sint, magnam impietatis partem contrahunt. Ne igitur maxima nobis damna inferam us, illorum consortium vitemus, Deum clementissimum, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (1. Tim. 2, 4), precantes obsecrantesque, ut cos ab errore liberet et a laqueo diaboli, et ad lumen scientiae reducat, nempe ad Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi, cum vivifico et sancto Spiritu, cui gloria et imperium nunc et semper et in secula seculorum, Amen.

## HOMILIA III.

De incomprehensibili, et quod Deus, ne quidem sese attemperans, a Seraphim ferri possit.

1. Laboriosi agrĭcolae, cum arborem vident infructuosam et silvestrem suisque laboribus officientem, quae vel radicis duritie, vel umbrae densitate, fructiferas stirpes corrumpat, summa eam diligentia resecant. Saepe autem ventus irruens sectionem juvat, frondiumque comam impetens ac magna vi quatiens, frangit illam in terramque prosternit magnamque illis laboris partem aufert. Cum ergo nos quoque arborem praecidendam curemus silvestrem et infructuosam, anomoeorum scilicet haeresim, Deum precemur, ut nobis Spiritus gratiam emittat, ut omni vento vehementius ingruens, haeresim radicitus evellat, nobisque laborem reddat leviorem. Jam enim terra inculta, quae agricolarum manibus non exercita est, herbas vitiosas, spinarum vim et arbores silvestres ex sinu suo saepe eduxit; ita et anomoeorum deserta anima et eo cultu, qui ex Scripturis manat, privata, ex se hanc feram horridamque haeresim eduxit. Hanc quippe arborem

neque Paulus plantavit, nec Apollo rigavit, nec Deus auxit; sed plantavit quidem ratiociniorum intempestiva curiositas, rigavit arrogantiae tumor, auxit vanae gloriae amor. Opusque nobis est Spiritus flamma, ut pessimam hanc radicem non tantum evellamus, sed etiam comburamus. Invocemus itaque ipsum, qui ab illis quidem blasphematur, a nobis autem celebratur; rogemusque ut linguam nostram ad celeriorem cursum excitet, et mentem ad clariorem dicendorum intelligentiam aperiat. Pro illo namque et pro gloria ejus totus hic labor suscipitur, imo potius pro salute nostra. Deum enim nemo vel contemnendo laedere, vel laudando illustriorem facere poterit. Sed in sua semper ille manet gloria, nec laudibus auctus, nec blasphemiis imminutus. Homines vero, qui illum pro dignitate laudant, imo pro dignitate nemo potest, sed pro facultate sua, laudis fructum consequuntur: qui autem ipsum blasphemant ac vilipendunt, suam ipsi salutem amittunt. Illud enim, *Qui jecit lapidem sursum, in caput suum jecit* (Eccli. 27, 28), de blasphemis dictum est. Quemadmodum enim qui lapidem in altum jaculatur, coeleste quidem corpus scindere non poterit, neque ad tantam altitudinem pertingere, sed plagam suo capite

excipiet, lapide in jacientem recidente; sic qui in beatam substantiam blasphemat, illam quidem nunquam laeserit, utpote quae longe major excelsiorque sit, quam ut possit aliquod damnum excipere; sed contra animam suam gladium acuit, ingratus erga benefactorem effectus. Vocemus itaque ipsum ineffabilem, inintelligibilem Deum, invisibilem, incomprehensibilem, humanae linguae vim superantem, mortalis mentis comprehensionem excedentem, angelis non vestigabilem, seraphinis invisibilem, cherubinis inintelligibilem, inaspectabilem principatibus, potestatibus, virtutibus ac simpliciter omni creaturae: a solo autem Filio et a Spiritu sancto cognitum. Nec ignoro eos me petulantiae accusaturos esse, quod ipsis supernis virtutibus ipsum incomprehensibilem esse dixerim. Ego autem ideo summam illorum arrogantiam et insaniam damnabo. Non enim petulantia est dicere, Creatorem rerum omnium creatarum captum et cognitionem superare; sed dicere eum, qui supernis virtutibus incomprehensibilis sit, posse ab humi repentibus, qui tantum distant ab illis, infirma cogitationum facultate circumscribi et comprehendi. Ego si quod pollicitus sum non demonstravero, dignus plane fuerim, qui petulantiae crimen subeam:

vos vero si postquam ostensum sit, ipsum supernis virtutibus esse incomprehensibilem, vos illum nosse contentiose affirmetis, quot barathris, quot praecipitiis digni eritis, qui incorporeis virtutibus inaccessa vos perfecte nosse petulanter jactitatis?

2. Age ergo ad rem ipsam demonstrandam properemus, ad precationem rursum conversi: saepe enim accidet, ut ipsa precandi series argumenta pro re proposita nobis suppeditet. Vocemus itaque ipsum *Regem regum et Dominum dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lucem inaccessibilem habitat: quem nullus hominum vidit, neque videre potest, cui est honor et imperium in secula. Amen* (1. Tim. 6, 15, 16). Haec non mea sunt, sed Pauli verba. Tu velim animae illius pietatem consideres, amoremque summum: cum enim Dei meminit, non ante in seriem doctrinae procedit, quam debitum suum exsolvat, cum laude sermonem claudens. Nam *si memoria justi cum laudibus* (Prov. 10, 7), multo magis memoria Dei cum benedictione. Idipsum vero facit in exordiis epistolarum. Saepius enim epistolam ordiens, facta Dei mentione, non prius ad doctrinam procedit, quam Deo debitam laudem gloriamque dederit. Audi quid scribens

ad Galatas dicat: *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti seculo nequam secundum voluntatem Dei et Patris, cui gloria in secula. Amen* (Galat. 1, 3, 4). Rursumque alibi: *Regi autem seculorum immortali et invisibili, soli sapienti Deo honor et gloria in secula. Amen* (1. Tim. 1, 17). An de Patre solum sic loquitur, de Filio non item? Audi quomodo circa Unigenitum quoque idipsum fecerit: cum enim dixisset, *Optabam ego anathema esse a Christo pro fratribus meis cognatis meis secundum carnem*, subjunxit: *Quorum adoptio filiorum, et testamenta, et legislatio, et obsequia, et promissiones: ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. Amen* (Rom. 9, 3—5). Cum enim sicut Patri ita et Unigenito gloriam prius retulisset, tunc sermonis seriem repetit. Audierat enim Christum dicentem: *Ut omnes honorent Filium, sicut honorant Patrem* (Joan. 5, 23). Ut vero discatis, quod ipsa oratio argumenta nobis suppeditatura sit, age illam in medium proferamus: *Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem*

*et lucem habitat inaccessibilem* (1. Tim. 6, 16). Hic siste gradum, et haereticum interroga, quid significet illud: *Et lucem habitat inaccessibilem.* Pauli accurationem perpendas velim: non dixit: Lux est inaccessibilis; sed *lucem habitat inaccessibilem*; ut discas, quod si domus ipsa sit inaccessibilis, quanto magis Deus, qui ipsam inhabitat. Haec porro dixit, non ut domum et locum Deo esse suspiceris, sed ut magis magisque Dei incomprehensibilitatem ediscas. Sed neque dixit: Lucem habitat incomprehensibilem; verum inaccessibilem, quod incomprehensibili longe majus est. Incomprehensibile namque dicitur, quod perquisitione et examine facto comprehendi nequit, inaccessibile autem illud est, quod ne examinari quidem a principio valet, et ad quod nemo propius accedere potest. Exempli causa incomprehensibile dicitur mare, in quod sese immittentes urinatores in multamque delapsi profunditatem, fundum attingere nequeunt. Inaccessibile autem id dicitur, quod ne a principio quidem inquirere aut scrutari possis.

3. Quid ad haec dixeris? Hominibus certe, inquies, incomprehensibilis est, angelis non item, neque supernis virtutibus. Tu ergo angelus es, dic mihi, et in choro incorporearum

virtutum annumeraris? Nonne homo es ejusdem cujus ego substantiae, an naturae oblitus es tuae? Ponamus enim eum hominibus tantum inaccessibilem esse: etiamsi illud nec propositum sit, nec dixerit Paulus: lucem inhabitat hominibus inaccessibilem, angelis vero non inaccessibilem. Verum, si placet, hoc tibi concedamus, annon et ipse homo es? Quid si angelis inaccessibilis non sit? Quid illud ad te, qui contendis atque affirmas, substantiam illam humanae naturae esse comprehensibilem? Ut vero discas non hominibus tantum, sed etiam supernis virtutibus esse inaccessibilem, audi quid dicat Isaias: Isaïam dicens, Spiritus sententiam effero; propheta namque ex operatione Spiritus loquitur: *Et factum est anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum, et seraphim stabant in circuitu ejus, sex alae uni et sex alae alteri, et duabus quidem obvelabant facies suas, et duabus pedes* (Isai. 6, 1, 2). Dic quaeso, cur obvelant facies suas alasque praetendunt? Cur, inquam, nisi quia fulgur e throno progrediens radiosque illos ferre non possunt? Quamquam non ipsum sine temperamento lumen, neque ipsam puram substantiam videbant, sed quae videbantur at

temperata erant [1]). Quid autem est illa attemperatio? Quando Deus non sicut est apparet,

---

1) Ne haec praepostere accipiantur, adverti debet 1. s. doctorem hisce non negare sive in genere visionem Dei intuitivam, qualem statuit dogma catholicum, possibilem esse, sive in specie angelos videre intuitive et immediate Dei essentiam: verum 2. negat possibilem esse vel ipsis angelis, nedum uobis, Dei comprehensionem. Hoc colligitur a. ex ipso scopo s. doctoris. Ejus enim scopus est refellere anomoeos: atqui cum anomoeis non erat controversia *de modo*, quo nos vel angeli Deum vident, utrum mediate an immediate, sed *de cognitionis gradu*, perfectione, intensione, utrum cognitio nostra de Deo sit adaequata, comprehensiva necne. Abjudicat proinde nobis, abjudicat angelis illam de Deo scientiam, quam sibi vindicabant anomoei, qui non verebantur affirmare: *Novimus Deum, ut ipse Deus se ipsum novit* (cf. supra hom. 2. n. 3). Illam b) negat Dei visionem, quae est propria et singularis personarum divinarum nullique communicabilis: haec autem est tantum cognitio Dei *comprehensiva* (cf. infra hom. 4. n. 4; hom. 5. n. 1, 3. etc.). Hinc c) saepe accuratius definit eam de Deo scientiam, quam vel angelis abjudicat; eam dicit scientiam, quae sit μετὰ ἀκριβείας ἁπάσης, quae sit et quidem ἀκριβὴς κατάληψις, quae sit tanta, quanta Filii de Patre cognitio (cf. infra hom. 4. n. 2, 3, 4, 5; hom. 5. n. 5. etc.). Sufficit tantum prae oculis habere verba s. patris ex h. 4. n. 4: „Quod itaque creaturae cuilibet substantia Dei sit incomprehensibilis (ἀκατάληπτος), his omnibus demonstratum est. Restat ut ostendamus Filium et Spiritum s. dumtaxat illum accuratissime (μετὰ ἀκριβείας

Sed ad modum ejus, qui ipsum visurus est, sese attemperat, videntiumque infirmitati sese

---

ἁπάσης) cognoscere.“ Ita etiam hom. 15. al. 14. in Joan. n. 2. explicans verba Matth. 11, 27. *Nemo novit Patrem nisi Filius.* „Quid ergo? omnesne in ignorantia versamur? absit. Sed nomo sic novit, ut Filius. Ut igitur multi pro captu suo eum viderunt . . . sic substantiam ejus quid sit, nemo novit nisi is, qui ex ipso genitus est; cognitionem hic dicit plenam visionem et comprehensionem et talem, qualem Pater habet de Filio.“ Proinde idem docet 3., quod s. Cyrillus hierosolymitanus catech. 6. n. 6. ita expressit: Vident angeli, quantum capaces sunt, et archangeli quoad possunt, throni et dominationes excellentius quam illi primi, inferius tamen rei dignitate. Unus enim Spiritus sanctus simul cum Filio videre potest,‘ scil. pro dignitate et essentiae divinae cognoscibilitate; quod s. Gregorius M. Moral. l. 10. n. 13, 14 confirmat: „In retributionis culmine reperiri omnipotens per contemplationis speciem potest, sed tamen ad perfectum non potest. Angelica enim vel humana mens cum ad incircumscriptum lumen inhiat, eo ipso se, quo est creatura, conangustat; et super se quidem per profectum tenditur, sed tamen ejus fulgorem comprehendere nec dilatata sufficit . . . Unde et adhuc subditur (Job 11, 8) *excelsior coelo est* . . . quia ipsi quoque electi spiritus visionem tantae celsitudinis perfecte non penetrant.‘ Cf. etiam l. 26. n. 9; Alcuinum de fide Trin. l. 2. c. 16. Non tamen diffitemur 4. s. doctorem ex detestatione tam absurdi ac manifesti erroris magis fuisse intentum ad illum refellendum, quod egregie praestitit, quam ad declarandum dogma catholicum de visione

accommodat. Quod autem per attemperationem fieret, ex ipsis verbis palam est. Nam ait: *Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum et elevatum.* Deus autem non sedet, corporis enim hic situs est, *super thronum*: at Deus in throno contineri nequit, numen quippe incircumscriptum est. Attamen sic attemperatum ferre non poterant, quamquam proxime starent: *seraphim enim stabant in circuitu ejus.* Ideo vero maxime videre non poterant, quia prope erant. Prope autem, inquit, non loco; sed cum vellet Spiritus sanctus declarare, illas virtutes, etsi propinquiores nobis essent illi substantiae, non tamen ipsam videre potuisse, idcirco ait: *Seraphim stabant in circuitu ejus*, non locum indicans, sed loci propinquitate propiores illas, quam nos, esse declarans. Incomprehensibilem enim illum, non tam novimus nos, quam illae virtutes, quae quanto puriores, tanto sapientio-

---

beatifica: hinc neque satis diligens fuit in verborum selectu plus dicens quam voluerit intelligi. Hoc adeo 5. est verum, ut si ejus urgeantur verba, absurda sequantur, ut cum hom. 4. n. 1. dicat, Deum nec cogitari nec adiri posse. Quare ejus verba ita sunt explicanda vel moliienda, ut consentiant illorum patrum doctrinae, quibuscum in communione vixit ejusdem fidei atque in eadem Ecclesia.

res et perspicaciores humana natura sunt. Quemadmodum enim solarium radiorum inaccessibilitatem non perinde coecus atque is qui videt capere potest; ita et Dei incomprehensibilitatem non perinde nos atque illae novimus. Quantum enim discrimen est coecum inter et videntem, tanta est inter nos et illas differentia. Itaque licet prophetam audias dicentem: *Vidi Dominum*, ne suspiceris eum vidisse substantiam illam, sed attemperantis se formam, eamque obscurius, quam supernae virtutes cernant. Non tantum enim videre potuit, quantum Cherubim.

4. Ecquid dico de beata illa substantia, quando ne angeli quidem substantiam potest homo libere videre? Quod ut ita esse intelligatis, virum in medio adducam Dei amicum, qui ob sapientiam et justitiam fiducia erat praeditus magna, quippe praeclare multa alia fecisse narratur, sanctum videlicet Danielem; ut postquam illum infirmum, solutum et deficientem ex angeli praesentia fuisse monstravero, nemo putet eum peccatorum et pravae conscientiae causa illa passum esse; sed demonstrata ejus animi fiducia, ipsa naturae infirmitas clarius comprobetur. Hic itaque Daniel tribus hebdomadibus jejunavit, panemque desiderabilem non comedit, neque vinum,

caro aut sicera introivit in os ejus, neque unctione usus est: et tunc illa visione dignatus est, cum anima ejus esset ad talem contemplationem aptior, jejunio levior et spiritualior effecta. Quid igitur ait? *Levavi oculos meos et vidi, et ecce vir vestitus Baddin*, hoc est veste sacra, *et renes ejus accincti auro Ophaz et corpus ejus quasi Tharsis, et vultus ejus quasi visio fulguris, oculi ejus quasi lampades ignis; brachia ejus et crura ejus quasi visio aeris fulgentis, vox sermonum ejus quasi vox multitudinis. Et ego solus vidi visionem hanc. Porro qui erant mecum non viderunt, sed stupor magnus irruit super eos, et fugerunt in timore, et non remansit in me fortitudo: et gloria mea conversa est in corruptionem* (Dan 10, 5. et seqq). Quid est illud, *Gloria mea conversa est in corruptionem?* Formosus erat adolescens: quia igitur timor angeli praesentis effecit, ut expirantium more pallor nimius speciei florem vultusque nativum colorem extingueret: ideo dixit, *Gloria mea conversa est in corruptionem.* Sicut enim ubi auriga perterritus habenas amisit, equi praecipites feruntur, et currus funditus evertitur; sic et in anima fieri solet, quando stupore et angustia detinetur: perterrita quippe suasque opera-

tiones tamquam habenas a singulis corporis sensibus auferens, iis vacua membra relinquit. Haec porro vi illa se continente destituta deficiunt et corruunt, quod et Danieli tunc accidit. Quid igitur angelus? Erigit illum et ait: *Daniel vir desideriorum intellige verba, quae ego loquor ad te, et sta in gradu tuo, quia nunc missus sum ad te.* Ille vero stetit tremens. Et cum incepisset angelus alloqui eum ac diceret: *A die qua statuisti ut affligeres cor tuum in conspectu Dei, audita sunt verba tua: et ego veni in verbis tuis;* rursum decidit in terram, ut animo deficientes solent. Quemadmodum enim illi erecti et in se reversi, respicientesque eos qui se sustinent, faciemque suam aqua frigida inspergunt, in ipsis se sustinentium manibus saepe deficiunt, ita et prophetae contigit. Animus namque perterritus praesentiam conservi sui non ferens, neque splendorem illum sustinere valens, conturbabatur a carnis vinculo tamquam a catena sese expedire festinans. Verum ille adhuc continebat illum. Audiant ii, qui angelorum Dominum curiose scrutantur. Daniel, quem oculi leonum reveriti fuerant, Daniel, qui in humano corpore ea facere poterat quae hominem superant conservi praesentiam non tulit; sed exani-

matus jacebat. *Eversa sunt enim*, inquit *interiora mea in visione mea, et spiritus non relictus est in me.* Qui vero a justi illius virtute tantum distant, ipsam Dei substantiam se diligentissime nosse profitentur; illam scilicet supremam et primam, quae innumera angelorum millia produxit, quorum unum Daniel conspicere non potuit.

5. Sed ad pristinum propositum revertamur, ostendamusque nec a supernis virtutibus conspici posse Deum, etiamsi sese attemperet. Cur enim, dic mihi, alas praetendunt seraphim? Nulla alia de causa, quam ut illud apostolicum, *Qui lucem habitat inaccessibilem* (1. Tim. 6, 16), ipsis operibus proclament: neque illa solum, sed etiam illis superiora cherubim. Hae quippe virtutes prope stant; illae vero throni sunt Dei: non quod throno Deus egeat; sed ut hoc virtutum earum dignitatem intelligas. Audi alium quoque prophetam de illis loquentem: *Et factum est verbum Domini ad Ezechiel filium Buzi secus flumen Chobar.* (Ezech. 1, 3). Et hic ad flumen Chobar, quemadmodum ille ad flumen Tigrim stabat. Cum enim Deus mirabilem quandam visionem servis suis ostensurus est, eos extra urbes educit in locum tumultu vacuum; ut a nullo vel sub aspectum

vel sub auditum cadente interpelletur animus, sed totus cum libertate ostensae rei contemplationi vacet. Quid igitur vidit ille? *Ecce nubes*, inquit, *veniebat ab Aquilone, et splendor in circuitu ejus, et ignis fulgurans, et in medio ejus quasi visio electri, et splendor in eo, et in medio similitudo quatuor animalium. Hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis: et quatuor facies uni, et quatuor alae uni. Et altitudo erat eis, et terribilia erant: et terga eorum plena oculis in circuitu eorum quatuor, et similitudo super caput eorum, quasi firmamentum, quasi aspectus crystalli terribilis, extensa super caput eorum desuper: et alae eorum unicuique duae, tegentes corpora eorum: et supra firmamentum quasi aspectus lapidis sapphiri: et similitudo throni super eum, et super similitudinem throni similitudo quasi species hominis super eum. Et vidi quasi aspectum electri, ab aspectu lumbi, et usque desuper, et ab aspectu lumbi usque deorsum, quasi visionem ignis: et splendor ejus, quasi aspectus arcus, cum fuerit in nube, in die pluviae* (Ezech. 1, 4. et seqq). Post haec autem cum declarare vellet, nec prophetam nec virtutes illas ad meram ipsam substantiam accessisse, dicebat: *Haec*

*visio similitudinis gloriae Domini* (Id. 2, 1). Videsne et hic et ibi Dei attemperationem? Attamen ipsae quoque virtutes se alis operiunt, nulla alia quam supra dicta de causa: quamquam sapientissimae, perspicacissimae et purissimae sint. Undenam id liquet? Ab ipsis nominibus. Quemadmodum enim angelus dicitur, quia quae Dei sunt hominibus annunciat ἀναγγέλλει; et archangelus, quia angelis imperat; sic et illae vocabula nactae sunt, quae ipsarum sapientiam et puritatem nobis declarent: ac sicut alae naturae sublimitatem indicant; etenim Gabriel volans repraesentatur, non quod angelis sint alae; sed ut ediscas ex altissimis locis, exque supremo domicilio illum ad humanam adventare naturam; sic et in istis nihil aliud alae, quam sublimitatem naturae significant. Sicut igitur alae naturae sublimitatem declarant, et thronus, quod Deus in ipsis requiescat, et oculi perspicacitatem; throni propinquitas et hymni perpetui vigilantiam et insomnia; sic nomina horum sapientiam, illorum puritatem significant. Quid enim sibi vult cherubim? plena scientia. Quid seraphim? ignita ora. Videsne quo pacto nomina illorum sapientiam, horum puritatem significent? Si vero ubi plena scientia est, ne attemperatum qui-

dem Dei modum accurate videre possunt, ubi ex parte cognitio, ut ait Paulus: *Ex parte cognoscimus*, et *per speculum et in aenigmate*, quantae fuerit amentiae, ea, quae ne illi quidem possunt intueri, sibi nota et perspicua esse putare?

6. Quod autem non ipsis cherubim et seraphim tantum, sed nec etiam principatibus, potestatibus, neque alii cuipiam virtuti comprehensibilis sit Deus, id jam vellem ostendere; sed jam defessus animus est, non multitudine, sed horrore dicendarum rerum. Tremit enim et horrescit supernis illis contemplationibus diutius immorans. Quamobrem ex coelis eum reducamus, perculsumque recreemus, ad solitam confugientes exhortationem. Quaenam illa est? ut precemur eos qui tali morbo laborant, ad sanitatem revocari. Nam si pro aegrotis, pro laborantibus ad metalla, pro dura servitute pressis, pro energumenis Deum rogare jubemur, quanto magis pro his? Impietas quippe ipso daemone tetrior est. Illa namque insania veniam meretur, hic vero morbus nullam habet defensionem. At quando de oratione pro energumenis mentionem feci, aliquid ea de re vestrae charitati disserere animus est, quo gravem ab Ecclesia morbum exscindamus. Etenim absurdum esset

dum exterorum morbis tanta cura medemur, propria negligere membra. Quod genus morbi illud est? Ingentem hanc populi multitudinem, nunc coactam et tanto studio auscultantem, tremenda illa hora oculis perquirens, videre non potui: admodumque ingemui, quod loquente quidem conservo ingens sit studium, summa alacritas, cunctis sese mutuo impellentibus et ad usque finem manentibus; cum autem Christus in sacris mysteriis sese ostensurus est, Ecclesia vacua desertaque maneat. Quo pacto isthaec veniam mereantur? Tali certe segnitie omnem studii in auscultando vestri laudem amittitis. Quis enim ex vobis non nos quoque damnaturus est, cum videat totum concionis fructum vobis statim effluxisse? Nam si dictis sedulo attenderetis, operibus sane vestram exhiberetis diligentiam. Quod autem statim atque audivistis discedatis, id profecto signum est vos nihil dictorum animo suscepisse. Etenim si ea in animis vestris deposita essent, vos plane intus retinerent, et majori cum pietate horrendis illis mysteriis admoverent. Nunc autem quasi citharoedum quempiam audissetis, sic omni fructu vacui cessante concione receditis. At quorsum frigida illa multorum excusatio? Precari etiam domi possumus, concionem doc-

trinamque audire nonnisi in ecclesia possumus. Te ipsum, mi homo, decipis. Precari etiam domi potes? ita vero precari ut in ecclesia non potes, ubi tanta patrum frequentia, ubi clamor unanimiter ad Deum emissus. Non perinde exaudieris, cum penes te solus Deum precaris, atque ubi cum fratribus tuis. Hic aliquid amplius est, nempe concordia et consensus, caritatis vinculum, et sacerdotum orationes. Ideo namque sacerdotes praesunt, ut multitudinis preces infirmiores cum hisce validioribus conjunctae una cum eis in coelum ascendant. Alioquin quid concio prosit, nisi sit cum oratione conjuncta? Prius oratio, deinde sermo, sic ajunt apostoli: *Nos autem in oratione et verbi ministerio perseveremus* (Act. 6, 4). Sic et Paulus facit, cum in epistolarum exordiis precetur, ut quasi lumen lucernae, ita et orationis lux verbo praeeat. Si ita te assuefeceris orandi diligentiae, conservorum doctrina non egebis, ipso Deo, sine ullo mediatore, mentem tuam irradiante. Quod si unius oratio tantam vim habeat, multo magis ea, quae cum multitudine emittitur: haec plus habet nervorum majoremque fiduciam, quam domi emissa. Undenam id liquet? Ipsum audi Paulum loquentem: *Qui de tanta morte eripuit nos, et adhuc eruet.*

*Speramus autem quod adhuc eripiet: vobis quoque in oratione pro nobis subvenientibus; ut de dono nobis collato per multas personas gratiae agantur pro nobis* (2. Cor. 1, 10). Sic etiam Petrus carcerem effugit: *Oratio enim fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (Act. 12, 5). Quod si Ecclesiae oratio Petro profuit, ac columnam illam eduxit ex carcere, quare tu ejus vim despicis, dic mihi, et quam habebis excusationem? Ipsum quoque Deum dicentem audi, se multitudine cum bona animi dispositione orante placari. Nam cum sese apud Jonam excusaret de cucurbitae frutice, ait: *Tu quidem pepercisti cucurbitae, pro qua non laborasti, neque excoluisti eam; et ego non parcam Ninivae civitati magnae, in qua habitant plus quam centum viginti millia hominum* (Jon. 4, 10, 11). Non absre multitudinem opponit; sed ut scias, orationem uno consensu factam magnam vim habere. Hoc vobis ex humana etiam historia planum facere libet.

7. Ante hos decem annos quidam tyrannidem affectantes deprehensi captique sunt, quod vos non ignoratis. Tum aliquis in magistratu constitutus criminis reus compertus, cum ad mortem fune ad os alligato duceretur,

tota urbs ad Hippodromum accurrit, eductisque officinarum operis, simul totus populus reum imperatoriae ultioni etsi nulla dignum venia subduxit. Itane terreni imperatoris iram placare volentes, cum liberis et uxoribus omnes accurritis; coelorum vero Imperatorem vobis propitium reddere studentes, atque ex ira ultioneque ejus non unum, vel duos, aut tres, aut centum, sed omnes per orbem peccatores, necnon daemoniacos a diaboli laqueis erepturi, sedetis, nec simul omnes concurritis, ut Deus concordiam vestram reveritus, et illis poenam et vobis peccata remittat? Nam si in foro illo tempore fueris, si domi, si in negotiis urgentibus, nonne leone quovis vehementius, abruptis vinculis, ad communem supplicationem te sponte conferes? Ecquam, dilecte, illo tempore spem salutis habere possis? Non homines solum horrendam illam emittunt vocem, sed et angeli ante Dominum procumbunt, archangeli precantur: habent tempus illud idoneum, oblationem sibi faventem. Ac quemadmodum homines excisis olearum ramis reges movere solent, illaque arbore ad clementiae ipsos memoriam revocant; sic et angeli tunc temporis pro olearum ramis ipsum corpus dominicum protendentes, Dominum pro humana natura rogant, ac si dice-

rent: Pro his supplicamus, quos tu praeveniens ita diligere dignatus es, ut animam tuam traderes: pro his supplicationes fundimus, pro quibus tu sanguinem effudisti; pro his rogamus, pro quibus hoc corpus immolasti. Ideo energumenos illo tempore diaconus adducit, jubetque caput tantum inclinare, ut ipso corporis situ supplicationes emittant. Ipsis enim cum communi fratrum coetu precari non licet. Ideoque illos sistit, ut eorum tum calamitatem, tum taciturnitatem miseratus fiducia tua ad illorum patrocinium utaris. Haec itaque cogitantes concurramus illa hora, ut nobis misericordiam attrahamus, et gratiam inveniamus ac opportunum auxilium. Laudastis ea quae dicta fuere, cum magno tumultu et plausu admonitionem accepistis. Sed ut nobis laudes ipsis operibus exhibeatis, non longum tempus quaeritur ad obsequentiam demonstrandam: exhortationem oratio sequatur: hanc quaero laudem, hunc per opera ipsa plausum. Vos itaque mutuo hortamini ad standum quemadmodum stetistis: si quis sese moveat ut ordinem deserat, hunc sedulo retinete; ut et proprii studii et fraternae curae duplicem mercedem reportantes, cum majori fiducia preces effundatis, placatoque Deo, et praesentia et futura bona

consequi possitis, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri et Spiritui sancto gloria et imperium in secula seculorum. Amen.

## HOMILIA IV.

De incomprehensibili, contra anomoeos.

1. Satius jam esset, postquam nuper ostendimus, Deum esse incomprehensibilem hominibus, imo et ipsis cherubim et seraphim, a negotiis expediri et nihil ulterius movere: verum quia id nobis in studio et in proposito est, ut non modo adversariorum ora occludamus, sed etiam ut caritatem vestram magis magisque instituamus, idipsum argumentum repetimus ulteriusque sermone procedimus. Nam si in iis diutius immoremur, et vos doctiores efficiemus, et nos splendidiorem victoriam reportabimus; tum si quid reliquiarum supersit, id jam prorsus de medio tolletur; quandoquidem noxias herbas non a summitate modo tondere opus est, si enim radices maneant, denuo pullulabunt: sed etiam ab ipso telluris gremio radicitus evellas oportet, exponasque solarium radiorum ardori, ut omnino marcescant. Age ergo in coelum rursus sermone conscendamus, non ut curiosius scrutemur, vel subtiliores quaestiones moveamus;

sed ut eorum qui neque se ipsos norunt, neque humanae naturae modum intelligere volunt, intempestivam contentionen tollere satagamus. Ideo quippe ex abundanti, non Dei modo, sed etiam angelorum conspectum justo illi viro intolerandum fuisse ostendimus, quando totam vobis historiam legimus: saepiusque beatum Danielem induximus pallentem, trementem, neque melius affectum, quam ii, qui deficiunt, quorumque anima vincula carnis abrumpere festinat. Sicut enim columba domestica et mansueta, in domuncula habitans, si strepitu terreatur, expavefacta in tectum avolat, et per fenestras exitum quaerit, ut sese ab angustia eximat; sic beati illius viri anima ex corpore egredi et externa petere gestiebat; exiissetque plane atque avolasset, corpusque vacuum reliquisset, nisi statim angelus praevertisset, eamque ab angustia liberasset, inque proprium sibi domicilium reduxisset. Idcirco autem haec tunc dicebam, ut ediscerent illi, quantum angelus homini praestet, et ex conservi praecellentia emendati contra Dominum insanire cessarent. Justus ille vir tanta praeditus fiducia angeli conspectum non tulit, et hi, qui tantum ab illius virtute remoti sunt, non angelum, sed ipsum angelorum Dominum curiose

scrutantur: ille leonum ferocitatem edomuit, nos ne vulpes quidem vincere possumus; ille draconem medium disrupit, feraeque naturam superavit sua in Deum fiducia fultus, nosminutissima quoque reptilia formidamus; ille regem instar leonis furentem iramque Nabuchodonosoris omni flamma vehementiorem in barbaros exercitus ruentem accedens compressit, et tenebris offusa omnia illustravit. Attamen hic, qui lucem attulerat, angelum venientem intuitus, caligine gravi interceptus est. Quam igitur excusationem afferent ii, qui beatam illam perlustrare naturam conantur? Nos vero non hic finem loquendi fecimus, sed ad sapientes illas virtutes orationem transtulimus, oculos earum aversos ostendimus, obtensas alas, erecta crura, clamorem perpetuum, et quomodo illae incorporeae virtutes stupore et admiratione capti animi signa praebeant: quanto enim sapientiores, quanto nobis propinquiores sunt ineffabili illi beataeque substantiae, tanto magis incomprehensibilitatem norunt: magnitudo quippe sapientiae magnitudinem pietatis efficit. Diximus vobis quid inaccessibile sit, et quod illud multo majus sit incomprehensibili: cujus rei causam adjecimus, quia scilicet incomprehensibile post examen incompre-

hensibile esse deprehenditur: inaccessibile vero examen non patitur, ac ne quidem adeundi principium, ubi et pelagi exemplo opus habuimus. Addidimus non dixisse Paulum, Deum esse lucem inaccessibilem, sed lucem habitare inaccessibilem: quod si domus ipsa sit inaccessibilis, multo magis qui in illa habitat Deus. Haec porro dixit Paulus, non ut Deum loco circumscriberet, sed ut magis magisque liqueret Deum nec cogitari nec adiri posse. Alias item virtutes induximus, nempe cherubim, declaravimusque quomodo supra illas sit firmamentum, lapis crystalli, similitudo throni, et species hominis, electrum, ignis, arcus, et quod post haec omnia propheta dicat: *Haec visio similitudinis Domini* (Ezech. 2, 1): atque ex his omnibus Dei attemperationem vobis demonstravimus, eamque tamen ejusmodi, quae nec a supernis virtutibus ferri possit.

2. Haec non sine causa repeto; sed quia me promissi debitorem novi, scire volo, quid solverim, quidque solvendum supersit. Sic et aeris alieni debitores faciunt, tabellas in medium proferunt, ubi debiti ratio descripta, quibus foeneratori exhibitis, residua numerant. Ego similiter, aperto memoriae vestrae libro, atque iis, quae jam soluta sunt quasi

digito demonstratis, ad reliqua demum propero. Quid igitur residuum erat? ut ostenderemus, neque principatus, neque potestates, neque dominationes, neque aliam ullam creatam virtutem esse, quae Deum perfecte comprehendat. Sunt enim sine dubio et aliae virtutes, quarum ne nomina quidem novimus. Perpendite insanam haereticorum arrogantiam, ne servorum quidem nomina novimus, et ipsam Domini substantiam perscrutantur. Sunt enim angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus et potestates. At non hi soli in coelo sunt populi, sed infinitae gentes, tribus innumerae, quas nullus sermo declarare potest. Undenam constat plures esse virtutes, quarum nomina ignoramus [1])? Paulus, qui illa dixerat, hoc etiam docet, ita de Christo loquens: *Constituit eum super omnem principatum, et potestatem et virtutem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro* (Ephes. 1, 21). Videtis aliqua illic esse aliquando cognoscenda, quae nunc ignota sunt? Ideo dixit, quae non modo in hoc seculo nominantur, sed etiam in futuro. Ecquid mirum si sub-

1) Cf. hunc in h. l., quae in annotavimus opusc. 16. 81.

stantiam non perfecte comprehendunt? Illud enim demonstrare non arduum est. Nam dispensationum ejus multas ne quidem supernae virtutes norunt, nec principatus, potestates et dominationes. Idque rursum ex apostolicis verbis planum faciemus, nempe multas ex divinis dispensationibus nobiscum edidicisse, quas ante quam nos disceremus ignorabant. Non solum autem nobiscum didicerunt, sed etiam a nobis ipsis: *Aliis*, inquit, *generationibus non est agnitum, sicut nunc revelatum est sanctis apostolis ejus et prophetis in spiritu, esse gentes coheredes et concorporales, et comparticipes promissionis ejus* (Id. 3, 5). Promissiones autem judaeis datae fuerant: *Per Evangelium, cujus factus sum ego Paulus minister*. Undenam ostenditur supernas virtutes id tunc edidicisse? nam quae dicta sunt ad homines spectant. Audi: *Mihi omnium hominum minimo data est gratia haec evangelizare omnibus gentibus investigabiles divitias Christi*. Quid est investigabile? Quod perquiri nequit, nec modo reperiri non potest, sed neque investigari. Audiant quam crebra adversum se jacula a Paulo emittantur? Nam si divitiae investigabiles sunt, quomodo is, qui largitur divitias, non investigabilis sit? *Et illuminare omnes, quae sit*

*dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo; ut manifestetur nunc principatibus et potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei* (Ephes. 3, 10). Audis quod nunc, non ante, illae virtutes haec cognoverint? Nam quae rex consultat, satelles nescit: *Ut manifestetur nunc principatibus et potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Vide quantum honoris humanae naturae collatum sit, quando nobiscum et per nos supernae virtutes Regis secreta cognoverunt. Sed undenam pateat de coelestibus illis dici, etenim daemonas etiam interdum vocat principatus et potestates, ut cum dicit: *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus principatus et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum seculi hujus* (Id. 6, 12). Numquid ergo id nunc etiam dicit, nempe daemonas tunc cognovisse? Nequaqam; sed de supernis illis agit virtutibus: cum enim dixisset, principatus et potestates, adjecit *In coelestibus.* Illi namque principatus et potestates coelestes; hi vero sub coelo sunt: quamobrem rectores mundi vocat illos, ostendens coelum ipsis inaccessum esse: totamque eos suam tyrannidem in hoc solum mundo exercere.

3. Vidistine quo pacto nobiscum et per

nos illa cognoverint? Sed ad debitum illud solvendum veniamus, ac probemus, neque principatus neque potestates ipsius substantiam nosse. Quis hoc dicit? Non jam Paulus aut Isaïas, aut Ezechiel, sed aliud vas sanctum, ipse tonitrui filius, dilectus Christi Joannes, qui supra pectus dominicum recubuit, et divinos inde fontes hausit. Quid igitur ait? *Deum nemo vidit unquam* (Joan. 1, 18). Vere tonitrui Filius, nam tuba clariorem emisit vocem, quae possit contentiosos omnes confundere. Sed videamus, quid contra objici possit. Quid, quaeso, dicis, Joannes, *Deum nemo vidit unquam?* Quid de prophetis agamus, qui dicunt, *Vidi Deum!* Isaïas enim: *Vidi Dominum*, inquit, *sedentem super solium excelsum et elevatum* (Isaï. 6, 1); Daniel vero: *Vidi donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit* (Dan. 7, 9); Michaeas item: *Vidi Dominum Deum Israël sedentem super solium suum* (3. Reg. 22, 19); alius rursum propheta dicit: *Vidi Dominum stantem super altare, et dixit mihi: Percute super propitiatorium* (Amos. 9, 1). Multa sane hujusmodi testimonia colligi possunt. Cur ergo Joannes ait, *Deum nemo vidit unquam* (Joan. 1, 18). Ut ediscas eum de perfecta comprehensione

et clara cognitione loqui. Quod enim illa omnia per attemperationem facta sint, neque puram illius substantiam quisquam illorum viderit, hinc palam est quod varie quisque viderit. Etenim Deus simplex est, incompositus et figurae expers; illi vero figuras viderunt varias. Hoc ipsum per alium prophetam ostendit, ipsisque persuadet se non perfectam substantiam vidisse, his verbis: *Ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum* (Osee 12, 10). Non ipsam meam substantiam ostendi, sed videntium infirmitati me attemperavi. Joannes ergo non de hominibus hoc dicit: *Deum nemo vidit unquam*: id enim liquet cum ex iis, quae dicta sunt, propheticis nempe verbis: *Ego visiones multiplicavi, et in manibus prophetarum assimilatus sum*; tum ex sententia Moysi prolata; cum enim ille Deum facie ad faciem videre cuperet, ait Deus: *Nemo videbit faciem meam, et vivet* (Exod. 33, 20). Liquidum itaque illud atque in confesso est. Non ergo de humana natura tantum, sed etiam de supernis potestatibus hoc dixit: *Deum nemo vidit unquam*, quamobrem ipsum quoque Unigenitum hujus doctrinae praeceptorem inducit. Ne quis enim diceret: Undenam id liquet? adjecit: *Unigenitus*

*Filius, qui est in sinu Patris, ipse exposuit,* ac fide dignum dogmatis testem doctoremque inducit. Atqui si idipsum quod Moyses hic significare vellet, frustra adjiceret, *Unigenitus exposuit.* Sed etiam prius, quam Joannes haec quasi doctus ab Unigenito diceret, id nobis propheta declarasset, utpote qui a Deo accepisset. Sed quia plus aliquid, quam tunc dictum fuisset, nobis revelaturus erat, nempe, ne supernas quidem virtutes ipsum videre, ideo Unigenitum doctorem inducit. Visionem porro hic cognitionem esse intellige. Neque enim pupillae, oculi, palpebrae incorporeis insunt virtutibus; sed quod nobis est visio, ipsis est cognitio. Itaque cum audis: *Deum nemo vidit unquam,* id intellige, nullum esse qui Deum substantialiter omnino perfecte cognoscat. Ac de seraphim cum audis, ea oculos avertisse et vultum obtexisse, deque cherubim, ea idem ipsum fecisse, ne oculos vel pupillas ipsa habere putes, corporis enim est hujusmodi forma, sed his a propheta cognitionem significari crede. Cum itaque propheta dicit, illas virtutes Deum quamvis sese attemperantem non ferre potuisse, nihil aliud significat, quam ejus cognitionem claram et accuratam, comprehensionemque ferre non posse, neque audere puram illam perfectam-

que substantiam intueri, ne quidem cum sese attemperat. Nihil autem aliud est intueri, quam cognoscere. Quamobrem evangelista, compertum habens humanae non esse naturae talia scire, neque supernis ipsis virtutibus comprehensibilem esse Deum, eum ipsum, qui in dextera ejus sedet et haec perfecte novit, hujus doctrinae praeceptorem inducit. Neque simpliciter dixit *Filius*, quamvis si ita locutus esset, satis id fuisset ad ora impudentium hominum obturanda. Sicut enim multi Christi dicuntur, unus autem verus Christus est; et multi domini dicuntur, unus vero Dominus; et multi dii dicuntur, unus vero Deus; sic et multi filii dicuntur, unus vero Filius, atque ipsa articuli additio Unigeniti praecellentiam satis indicat. Attamen ea re non contentus, cum dixisset: *Deum nemo vidit unquam*, subjunxit: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse exposuit.* Primo dixit *Unigenitus* et postea *Filius.* Cum enim propter nominis communitatem gloriam ejus plerique minuant, unum inter multos illum esse rati, filii quippe nomen omnibus commune est: ideo quod est ipsi praecipuum et peculiare, ad nullumque alium pertinet, praeposuit, nempe *Unigenitus*; ut hinc credas, vel commune illud non

vere commune esse, sed ipsi proprium et pecu
liare, neminique aliorum ut illi convenire.

4. Utque clarius id evadat, rem fusius ex
plicabo. Nomen illud *Filius* et hominibu
et Christo convenit; sed nobis abusu quodam
illi vero proprie: illud autem *Unigenitu*
ipsi proprium est, neminique aliorum vel abu
sive tribuitur. Ut igitur ab appellatione ne
mini competente praeterquam ipsi soli, etian
aliam, quae multis tribuitur, ipsi propriam
esse putares, ideo prius dixit *Unigenitus*
posteaque *Filius*. Quod si ne haec quidem
tibi satis sint, tertium addam, illudque cras
sum et humanum, sed quod possit tamen
humi repentes ad gloriae Unigeniti notitiam
reducere. Quid illud est? *Qui est in sinu*
*Patris*. Crassum illud verbum est, sed quod
satis sit ad genuinam rationem commonstran
dam, si quemadmodum Deo deceat intelli
gatur. Sicut enim cum thronum audis et se
dem a dextris, non vere thronum opinaris
nec locum, nec circumscriptionem; sed
throni appellatione et a sedis societate ho
noris aequalitatem paritatemque intelligis
sic et cum sinum audis, ne sinum putes esse
neque locum; sed a sinus voce propinquita
tem et fiduciam apud Genitorem cogita. Nam
quod in sinu versetur, id clarius nobis quo

Genitori propinquus sit demonstrat, quam quod a dextris sedeat. Neque enim Pater in sinu suo esse Filium pateretur, nisi ejusdem subtantiae esset, neque ipse Filius, si inferioris esset naturae, in paterno sinu versari sustineret. Ut Filius ergo et Unigenitus, atque in sinu paterno versans, omnia quae Patris sunt perfecte novit. Quapropter his Evangelista verbis est usus, ut Filii accuratam, quam de Patre habet, cognitionem declararet: nam de cognitione sermo erat. Quod nisi ita esset, cur sinus memoratur? Nam si Deus non sit corpus, ut vere non est, neque genuinitas et propinquitas Filii erga Genitorem significetur, frustra ac sine causa hoc dictum injectum fuit, cum nullius nobis sit usus. Verum non frustra injectum est: absit; neque enim temere Spiritus loquitur; sed propinquitatem Filii erga Patrem significat. Cum enim rem magnam asseruisset evangelista, quod neque superna creatura ipsum videat, id est, perfecte cognoscat, ut fide dignum hujus rei doctorem adduceret, haec verba protulit, ut ipsi tamquam Filio et Unigenito in sinuque paterno versanti, in omnibus fidem haberes, neque ulterius dubitares. Si quis vero nec contentiose nec impudenter agere velit, idipsum aeternitatem comprobare dixerim. Quem-

madmodum enim ex illo ad Moysen dicto, *Ego sum qui sum* (Exod. 3, 14) aeternitatem ediscimus; sic et ex illo, *Qui est in sinu Patris*, ipsum ab aeterno in sinu Patris esse arguere possumus. Quod itaque creaturae cuilibet substantia Dei sit incomprehensibilis his omnibus demonstratum est. Restat ut ostendamus Filium et Spiritum sanctum duntaxat illum accuratissime cognoscere. Verum ea re ad aliam disputationem remissa, ne dictorum copia memoriam confundamus, ad solitam exhortationem sermonem convertamus. Quaenam illa solita exhortatio? Ut assiduae orationi mente sobria vigilique animo incumbamus. Etenim nuper hac de re vos allocutus, omnes vidi prompto animo morem gerere. Absurdum sane esset, si cum segniores vos video objurgem, cum vero recte agitis non laudem. Laudare igitur vos hodie volo gratiasque vobis illius obsequentiae reddere: gratias autem ita reddemus, si vos docuerimus, qua de causa haec oratio cetera praecedat, et cur daemoniacos ac mente captos tunc diaconus induci et capita inclinare jubeat. Cur ergo sic agit? Mala gravisque catena est agitatio daemonum; catena, inquam, ferro validior. Quemadmodum igitur judice proditurо, ut in excelso tribunali se-

deat, carceris custodes detentos omnes eductos domicilio ante cancellos et tribunalis vela collocant, squallidos, sordentes, passis capillis, scissis pannis indutos; ita patres faciendum statuerunt, quando futurum est ut Christus ceu in excelso tribunali sedeat, in ipsisque mysteriis appareat, ut scilicet daemoniaci quasi vincti quidam inducantur; non ut poena supplicioque afficiantur sed ut populo urbeque tota intus praesente communes supplicationes fierent, omnibus animo uno communem Dominum illorum gratia precantibus magnaque voce misericordiam poscentibus.

5. Talem igitur orationem deserentes increpabam, qui illo tempore foris versabantur. Nunc eos, qui intus manent, incusare volo; non quod maneant, sed quod intus positi nihilo melius, quam ii qui absunt, se habeant, dum horrendo illo tempore mutuo confabulantur. Quid agis, o homo? Tot ex fratrum tuorum numero vinctos prope cernis, et tu de rebus nihil ad te pertinentibus fabularis? An vel ipse solus rei aspectus non te potest deterrere et ad misericordiam pertrahere? Frater tuus in vinculis, et tu in segnitie versaris? Qua, quaeso, venia dignus eris, sic inhumanus, immisericors, durus? Annon times

ne te confabulantem, segniter agentem, negligentem, daemon quispiam inde exsiliens vacantem scopisque mundatam animam tuam facile invadat, reserata domo reperta? An non oporteret omnes illo tempore lacrymas effundere, madentibus esse oculis, fletus gemitusque per Ecclesiam audiri? Post mysteriorum communionem, post lavacri fructum, post initam cum Christo societatem, lupus ille potuit ex ovili agnos rapere et penes se retinere; tu vero tantam cernens calamitatem non lacrymaris? Quo pacto haec possint excusari? Non vis fratris vicem dolere? saltem pro te metue et expergiscere. Si vicini tui domum conflagrare videres, etiamsi is omnium tibi inimicissimus esset, annon accurreres, ut incendium restingueres, veritus ne incendium paulatim serpens fores tuas invaderet? Idipsum in daemoniacis cogita, nam daemonum agitatio ceu incendium quoddam exitiosum est. Cave ergo ne daemon ultra progressus animam invadat tuam: ac cum praesentem videris, diligenter ad Dominum confugias; ut cum daemon te animo ferventi excitatoque viderit, nullum sibi apud te aditum esse intelligat. Si enim te oscitantem et segnem viderit, ut desertum diversorium invadet; sin vigilantem et intentum

coelisque haerentem, ne intueri quidem audebit. Itaque si fratrem non curas, saltem tibi consule, animaeque tuae aditum maligno daemoni occlude. Nihil autem perinde ipsi ingressum ad nos occludere solet, atque oratio et supplicatio assidua. Nam quod diaconus omnibus praecipiat his verbis: *Erecti stemus probe*, non frustra temereque statutum est; sed ut humi repentes cogitationes erigamus, utque segnitiem secularibus curis partam ejicientes, rectam coram Deo animam nostram statuere possimus. Quod autem hoc verum sit, quodque non corpus haec verba respiciant, sed animam, quam erigere jubemur, audiamus Paulum, eodem modo illa loquendi formula usum. Cum enim lapsis et aerumnarum mole pene desperantibus scriberet, dicebat: *Solutas manus et soluta genua erigite* (Hebr. 12, 12). An dixerimus illum de manibus et genibus corporeis loqui? Minime: neque enim homines cursui et certaminibus deditos alloquitur, sed vires cogitationum a tentationibus prostratas his verbis excitare jubet. Cogita cui proxime astes, ac quibuscum Deum invocaturus sis, scilicet cum cherubim. Animadverte quos habeas socios, idque tibi ad vigilantiam satis erit, cum tecum reputaveris, te carne indutum

et corpore cum incorporeis virtutibus ad communem Dominum celebrandum adscribi dignari. Nemo igitur animo resoluto sacras illas et mysticas laudes adeat; nemo seculares tunc temporis cogitationes in mente verset: sed terrenis omnibus expulsis, in coelum se totum transferat ac quasi ad thronum gloriae admotus cum seraphim volaret, sic sanctissimum hymnum magnifico gloriosissimoque Deo emittat. Ideo tunc temporis probe stare jubemur. Probe namque stare nihil aliud est, quam ita stare, ut decet hominem adstare Deo, nempe cum horrore et tremore, cum animo vigili et diligenti. Nam hoc quoque dictum ad animam pertinere Paulus rursum significavit his verbis: *Sic state in Domino, carissimi* (Philip. 4, 1). Quemadmodum enim sagittarius, si recte tela fundere velit, primo gradum stationemque componat oportet; deinde e regione scopi diligenter positus tela jacere nititur; sic et tu infestum diaboli caput telis impetiturus, cogitationum statum primo cures, ut rectum sine obice gradum statuens, probe contra illum tela emittas.

6. Et haec quidem de oratione. Quia vero praeter segnitiem in orando, aliud quidpiam admodum perniciosum diabolus excogitavit, hic quoque aditus ipsi praecludendus est.

Quid ergo mali machinatus est improbus ille daemon? Vos cernens tamquam uno corpore compactos multoque studio dictis attendentes, non ausus quidem est ex ministris suis aliquos mittere, qui vos consilio hortatuque suo a concionibus abducerent: gnarus vestrum neminem tale consilium admissurum esse: sed quosdam latrunculos et marsupiorum sectores multitudini immiscuit, curavitque ut multis hic congregatis aurum, quod ligatum servabant, subriperetur, quod saepe multisque contigit. Ne igitur ita semper contingat, neve pecuniarum jactura audiendi studium exstinguat, multis in tale damnum incidentibus, hortor vos auctorque sum vobis omnibus, ne aurum huc afferatis, ne vestrum auscultandi studium ansam illis praebeat male agendi; neve voluptas, quam hic versantes percipitis, auri furto obturbetur. Etenim id diabolus molitur, non ut vos pauperiores reddat, sed ut pecuniae jactura moerorem pariens, ab auscultandi cupiditate vos abducat. Nam et Job non ideo bonis omnibus spoliavit, ut pauperiorem efficeret, sed ut a pietate deturbaret: non illi scopus erat, ut pecunias auferret, quippe qui nihil id esse sciret; sed ut facultatum dispendio in peccatum induceret. Quod quidem si facere nequeat, nun-

quam se rem bene gessise putabit. Cum ergo ejus scopum teneas, carissime, cum te vel furum opera, vel alia quavis ratione auro mulctaverit, gloriam Domino referas, et amplius lucratus fueris, duplicemque ipsi plagam infliges, quod non moleste tuleris, quodque gratias egeris. Nam si te viderit damno pecuniarum frangi eoque adduci, ut Domino irascaris, nunquam finem faciet id agendi; sin advertat te non modo non blasphemare Deum, qui te creavit, sed etiam ipsi de jactura gratias agere, a tentationibus inferendis absistet, gnarus molestiarum experimentum tibi gratiarum actionis argumentum esse, ac splendidiorem tibi coronam pluraque praemia parere. Quod etiam ipsi Job accidit. Cum enim sublatis opibus vulneratoque corpore vidit illum gratias agere, non ultra ipsum aggredi ausus est; sed turpi et ignominiosa clade profligatus abscessit, cum Dei athletam illustriorem reddidisset. Haec igitur cum sciamus, unum duntaxat metuamus, peccatum nempe: cetera vero strenue toleremus, sive pecuniarum jacturam, sive corporis aegritudinem, sive calamitates, sive damna et calumnias, sive aliud quidpiam molestum inferatur. Haec quippe natura sua non solum nos detrimento afficere nequeunt, sed etiam

admodum juvabunt, dum gratias agendo feramus, majoremque nobis afferent mercedem. Vides quippe ipsum Job, postquam patientiae et virtutis corona redimitus est, ea quae amiserat dupla recepisse. Tu vero non dupla, aut triplicia, sed centupla omnia recipies, si generose feras, et vitam aeternam in hereditatem accipies, quam utinam omnes consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium nunc et semper, et in secula seculorum. Amen.

## HOMILIA V.

De incomprehensibili contra anomoeos.

1. Qui prolixius argumentum multisque sermonibus egens aggressurus est, quod non duobus tribusve, sed longe pluribus diebus absolvere possit, huic expedire puto, ut non totam confertim doctrinam in auditorum animos effundat, sed ut totum plures in partes dividendo, hac distributione levius reddat orationis onus. Nam lingua, auditus et sensuum nostrorum singuli modum, regulas terminosque habent, quos si quis transgredi velit, a praesente sibi facultate dejicitur. Quid enim, quaeso, luce dulcius? Quid radio jucundius? Attamen haec suavitas, haec voluptas, si ultra modum in oculis versetur,

gravis molestaque efficitur. Quamobrem Deus diei noctem succedere voluit, ut fatigatos oculos demissis palpebris operiret, pupillas sopiret, laborantemque vim oculorum quieti daret, et ad sequentis diei officium aptiorem redderet. Ideo vigilia et somnus inter se contraria ex moderato usu parem jucunditatem afferunt, cumque lucem suavem vocemus, suavem pariter vocamus somnum, qui nos abducit a luce. Ita immoderatus usus ubique gravis molestusque est; moderatus contra dulcis, utilis et suavis. Idcirco nos quartam quintamve diem emensi, ex quo de incomprehensibili agere coepimus, ne quidem hodie disputationem absolvere destinavimus, sed postquam ea quae satis sint vestrae caritati disseruerimus, rursus menti vestrae inducias dare decrevimus. Ubinam ergo nuper disputandi finem fecimus? Nam inde sermonem resumere convenit, una siquidem est doctrinae series. Dicebamus tunc haec esse filii tonitrui verba: *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse exposuit* (Joan. 1, 18). Hodie quo loco ipse unigenitus Filius hoc exposuerit, dicere operae pretium erit. *Respondit*, inquit, *judaeis et dixit: Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est ex Deo, hic vidit Patrem*

(Id. 6, 46). Visionem hic rursus cognitionem appellat: nec simpliciter dixit: Nemo vidit Patrem, posteaque tacuit, ne quis de hominibus tantum haec eum dixisse putaret, sed cum ostendere vellet neque angelos, neque archangelos, neque supernas virtutes eum videre posse, id additamento illo palam fecit: cum enim dixisset, *Patrem nemo vidit unquam*, subjunxit: *nisi is qui est ex Deo, hic vidit Patrem.* Si enim simpliciter dixisset *nemo*, multi ex auditoribus id de natura tantum nostra dictum putassent: jamvero. cum postquam dixerat *nemo*, addat *nisi Filius*, hoc unigeniti additamento omnem creaturum exclusit. Quid ergo dices, numquid et Spiritum sanctum? Nequaquam, neque enim ille pars creaturarum est. Illud vero *nemo* ad creaturarum tantum discrimen semper ponitur. Nec si de Patre dicatur, Filium excludit, nec si de Filio, Spiritum sanctum. Ut autem vel inde demonstrem illud *nemo*, non ad Spiritus sancti, sed ad creaturae exclusionem dictum esse, de eadem ipsa cognitione, quam solius Filii esse dicit, audiamus quid voce *novit* adhibita Paulus corinthiis dicat: *Quis enim novit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso? Ita et quae Dei sunt nullus cognovit, nisi Spiritus Dei* (1. Cor. 2, 11). Sicut igi-

tur hic vox illa *nemo* non excludit Filium; sic et cum de Christo dicitur, vox eadem *nemo* non excludit Spiritum sanctum. Patet ergo verum esse quod diximus. Si enim cum dicitur, *nemo novit Patrem, nisi is qui ex Deo est*, Spiritus sanctus excluderetur, frustra Paulus diceret, sicut homo quae sua sunt novit, sic et Spiritus sanctus quae sunt Dei accurate novit. Eodem quoque modo vox illa *unus* dicitur, eandem quippe vim et potestatem habet. Illud vero consideres velim, *Unus Deus Pater*, inquit, *ex quo omnia: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia* (Id. 8, 6). Nam si eo quod unus dicatur esse Deus Pater, Filius a deitate excluderetur, etiam quod unus dicatur Dominus Filius, Pater a dominatione excluderetur: atqui quod dicatur unus Dominus Jesus Christus, id Patrem non excludit a dominatione; ergo neque Filius excluditur a deitate, cum dicitur, Deum esse Patrem.

2. Quod si iterum dicant, ideo Patrem unum Deum dici, quod Filius, licet Deus, non talis tamen Deus sit, qualis Pater, ex eorum distinctionibus illud dicendum relinquitur, neque enim nos id unquam dixerimus, nempe ideo Filium vocari Dominum, quia licet Pater sit Dominus, non tamen talis Do-

minus, qualis Filius est. Quod si hoc impium est, neque prius illud dici possit. Sed quemadmodum illud *unus Dominus*, non excludit Patrem a perfecta dominatione, neque uni tantum Filio illam adscribit; ita neque illud *unus Deus*, Filium excludit a vera, germana et sincera deitate, neque ad Patrem solum pertinere ostendit. Quod enim Deus sit Filius, et talis Deus, qualis Pater, dum tamen Filius manet, ex ipso additamento liquidum est. Nam si illud nomen *Deus* Patris tantum esset, neque aliam nobis hypostasim significare posset, nisi illam solum ingenitam et primam, utpote illi soli proprium et ejus significativum, Patris additamentum superflue jaceret. Satis enim esset dixisse *unus Deus*, ut de quo diceretur intelligeremus: sed quia illud nomem *Deus* commune est Patri et Filio, et cum Paulus dicens *unus Deus*, non significaret de quo loquatur, ideo Patris additamento usus est, ut indicaret se de prima et ingenita hypostasi loqui, quod solum Dei nomen ipsam declarare non posset; quia illud commune sit etiam Filio: nomina quippe alia sunt communia, alia propria. Communia, ut non differre substantiam ostendatur; propr a ut proprietas hypostasium declaretur. Illud itaque Pa-

ter et Filius, alterutrius hypostaseos proprium est; illud vero Deus et Dominus, commune est. Quia igitur commune nomen posuit *unus Deus*, proprio nomine opus habuit, ut cognosceres de quo loqueretur, ne in Sabellii insaniam incideremus. Quod enim illud nomen *Deus* majus non sit illo *Dominus*; neque illud *Dominus* majus illo *Deus*, hinc manifestum est. In veteri Testamento Pater frequenter Dominus vocatur: *Dominus Deus*, inquit, *Dominus unus est* (Deut. 6, 4); ac rursum: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (Deut. 6, 13): itemque: *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus, et sapientiae ejus non est numerus* (Psal. 146, 5); iterumque: *Cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus Altissimus in omni terra* (Id. 82, 19). Atqui si illa vox minor esset voce *Deus*, et indigna illa substantia, non dicendum erat: *Cognoscant quia nomen tibi Dominus*. Rursum si vox illa *Deus* major esset illa *Dominus* et honorabilior, non oporteret Filium, secundum illos minorem, nomine, quod Patri conveniat, vocari, siquidem illi soli proprium esset. At non ita sane res se habet. Neque enim Filius Patre inferior, neque Domini nomen nomine Dei vilius. Quamobrem et de Patre et de

Filio indiscriminatim his apellationibus utitur Scriptura. Quemadmodum igitur audistis Patrem Dominum appellari, age ostendamus Filium etiam Deum vocari: *Ecce virgo in utero habebit et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus* (Isaï. 7, 14). Vidisti et Patri nomen illud *Dominus*, et Filio nomen illud *Deus* adscribi. Quemadmodum enim illic ait: *Cognoscant quia nomen tibi Dominus* (Psal. 82, 19); sic et hoc loco dicit: *Vocabunt nomen ejus Emmanuel*; ac rursum: *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, et vocabitur nomen ejus magni consilii angelus, Deus fortis, potens* (Isaï. 9, 6). Animadverte mihi prophetarum prudentiam spiritualemque sapientiam. Nam ne simpliciter dicentes *Deum*, de Patre loqui putarentur, oeconomiam (incarnationem) prius commemorarunt; neque enim Pater de Virgine natus est, neque puer fuit. Rursus alter propheta sic de ipso loquitur: *Hic Deus noster, non aestimabitur alius adversus eum.* De quonam haec ait? Num de Patre? Nequaquam. Audi enim quo pacto et ipse oeconomiam memoret: cum enim dixisset, *Hic Deus noster, non aestimabitur alius adversus eum*, ita pergit: *Invenit omnem*

*viam scientiae, et dedit eam Jacob puero suo et Israël dilecto suo. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (Baruc. 3, 37). Paulus vero [1]): *Ex qui-*

1) De hoc testimonio cf. quae annotavimus opusc. 16, 240. Merito autem provocat ad Tit. 2, 13., ut ostendat Jesum Christum dici Deum. Quamvis enim sociniani contendant, verba *magni Dei* esse referenda non ad Christum sed ad Patrem, omnia suadent, iis designari Filium. Suadet 1. articulus, qui praeponitur verbis μεγάλον θεὸν; non vero repetitur ante appositum Σωτῆρος; sed si haec duo designarent distincta subjecta, repetendus fuisset articulus ante utrumque. Cf. similem loquendi modum ex. gr. ep. ad Gal. 1, 4; Eph. 1, 3; 1 Petr. 1, 3. coll. Coloss. 2, 2; 2. Cor. 1, 3. — Suadet 2., quod ἐπιφάνεια adventus gloriosus in N. T. nunquam adscribatur Patri, sed semper Filio, qui judicaturus est vivos et mortuos 1. Thess. 1, 10; 2. Thess. 2, 8; 1. Tim. 6, 14; 2. Tim. 4. 1. 8; Matth. 25, 31; Marc 13, 26. etc. Hinc 3. patres plurimi ad hoc testimonium provocant, ut contra arianos evincant, Filium in divinis literis non dici solum *Deum*, sed et *magnum Deum*. Ita idem s. doctor h. in l. hom 5. n. 2: „Ubi sunt qui Patre minorem esse Filium dicunt? *Magni*, inquit, *Dei et Salvatoris*. Cum *magnum* dicit *Deum*, non ad quid magnus sit dicit, sed absolute magnus est, post quem nullus vere magnus dicetur, quia ad aliquid magnus: si autem ad aliquid per comparationem, non natura magnus est: nunc autem magnus incomparabiliter dicitur". Hom. 4. in Joan. n. 3., quem pro more sequuntur in h. l. Theophylactus, Oecumenius et Theo-

*bus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen*

---

doretus et hic etiam in praef. ad Daniel.; in 1. Cor. 8, 6; ep. 146. Clemens alex. cohort. ad gentes § 1.; Athanasius ep. ad Adelphium; Cyrillus hieros. cathech. 15. n. 2; Basilius in Ps. 1. n. 3.; de Spiritu s. n. 39; l. 4. adv. Eunomium (Migne 27, 707), ubi hanc reddit rationem: „Nam Filii apparitionem et adventum exspectamus, non Patris;“ Hieronymus in h. l. „Ubi est serpens Arius, ubi Eunomius coluber? Magnus Deus J. Christus Salvator dicitur, non primogenitus omnis creaturae, non Verbum Dei et Sapientia, sed J. Christus, quae vocabula assumpti hominis sunt. Neque vero alium J. Christum, alium Verbum dicimus, ut nova haeresis calumniatur; sed eundem et ante secula et post secula, et ante mundum et post Mariam, imo ex Maria magnum Deum appellamus Salvatorem nostrum J. Christum, qui dedit semetipsum pro nobis etc.“ Quae verba laudat Alcuinus l. 4. adv. Felicem n. 5. et quod majoris est momenti, concilium francofordiense in ep. synodica n. 8. Epiphanius Ancor. n. 69; Cassianus, qui propterea Paulum vocat *fortissimum et manifestissimum testem*, de incarn. l. 2. c. 4; l. 6. c. 19; Cyrillus alex. in scholiis de incarn., ubi dicit: „Ecce Deus et magnus plenissime nominatus est D. N. J. Christus: ipse est enim, cujus adventum gloriae exspectantes sobrie vivere et irreprehensibiliter festinamus“. Dial. quod unus est Christus p. 745; in Thes. assert. 32. (Mig. 75, 506); l. quod Maria sit Deipara n. 3, 12, 13; de recta fide ad reginas; Fulgentius adversus Pintam n. 7.; Facundus

(Rom. 9, 5): et rursum: *Omnis fornicator, aut avarus non habebit hereditatem in regno Christi et Dei* (Eph. 5, 5): iterumque: *Per adventum magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi* (Tit. 2, 13). Joannes quoque sic nominat eum cum dicit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. 1, 1).

3. Hoc fateor, inquies, sed illud ostende, ubinam cum Patre Filium conjungens, Dominum Patrem appellet. Ego vero non id tantum ostendam, sed etiam, quod Dominum Patrem et Dominum Filium appellet, etiamque Patrem Deum et Filium Deum, utraque simul nomina ponens. Ubinam haec reperi-

---

hermianensis l. 1. pro defens. trium capit. c. 1; Eutychius ep. ad Vigilium; Primasius et Luculentius (Migne 72, 851.) in h. l.; auctor hom. de s. Trinit. n. 4. inter opera Chrysostomi (Migne 48, 1059.); auctor breviarii adversus arianos (Migne 13, 657.); acta s. Timothei n. 4, quae Polycrati ephesiorum ep. (qui floruit initio sec 3.) adscribuntur (Migne patrol. graecae 5, 1364); auctor hom. in Ps. 96. n. 3. inter opera dubia Chrysostomi (ib 55, 606.); auctor op. de communi essentia Patris, Filii et Spiritus s., (inter opera s. Athanasii ib. t. 28.) n. 27; Vigilius taps. l. 2. c. Varimadum c. 1; liturgia s. Clementis a syris adhibita (non adeo vetusta apud Migne patrol. graecae 2, 610.) etc.

untur? Cum judaeis aliquando disputans Christus ait: *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei David. Dicit eis: Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis* (Matth. 22, 42). Ecce Dominus et Dominus. Visne discere ubi Patrem et Filium simul positos Deum et Deum vocet? audi prophetam David et apostolum Paulum hoc ipsum nobis declarantes: *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis* (Psal. 44, 7). Paulus rursum hoc testimonium adducit his verbis: *Ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus; ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in seculum seculi* (Hebr. 1, 7). Qua de causa hic, inquit, Deum Patrem vocavit, Filium vero Dominum? Non temere, neque frustra id hoc loco fecit; sed quia adversus gentiles agebat deorum multiplicitatis morbo laborantes [1]). Ne itaque ipsi dicerent: Dum nos incusas, quod multos deos dicamus et multos

1) Cf. quae annotavimus opusc. 22, 170. n. 4.

dominos, tu ipse iisdem criminibus obnoxius deprehenderis, dum deos, non Deum dicis. Ideo illorum infirmitati sese attemperans, Filium alio nomine vim eandem habente vocavit. Quod autem illud sit verum, si locum altius repetamus, clare intelligetis, non ex nostra quippe conjectura loquimur: *De iis autem, quae idolis sacrificantur, scimus quoniam omnes scientiam habemus. Scientia inflat, caritas vero aedificat. De escis autem quae idolis sacrificantur, scimus quoniam nihil est idolum in mundo: et quoniam nullus Deus nisi unus* (1. Cor. 8, 1. et seqq)? Vides eum adversus eos loqui, qui plures deos esse putarent? *Nam et si sunt multi, qui dicuntur dii, et domini multi, sive in coelo, sive terra* (Ibid. 5); rursus eos ita impugnat: *Ut certe sunt dii multi et domini multi*, id est, qui sic dicuntur, *nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia: et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Ideo illud etiam *unus* adjecit, ne rursum illi multiplicitatem deorum induci putarent: unumque Deum Patrem vocavit, non ut ejiceret Filium a deitate; sicut et Filium unum Dominum, non ut ejiceret Patrem a dominatione, sed ut illorum infirmitatem emendaret, nullamque illis praeberet ansam,

Quod ipsum in causa fuit, cur judaeis non clare et manifeste, sed obscure raroque Filius Dei a prophetis significaretur. Cum enim nuper ab errore plurium deorum abducti essent, si rursum audissent deum et deum, rursus in eundem recidissent morbum. Ideo frequenter prophetae dicunt: *Unus est Deus, et praeter eum nullus est* (Deut. 4, 35). Non quod Filium negent, absit, sed ut illorum infirmitatem curarent, ipsisque interim suaderent, ut a multorum nec vere existentium deorum opinione absisterent. Cum igitur audies *unus* et *nullus* et similia, ne Trinitatis gloriam minuas, sed quanto intervallo a creatura distet hinc ediscas. Etenim alibi quoque dicit: *Quis enim novit sensum Domini* (Isaï. 40, 13)? Quod autem ne hic quoque Filium vel Spiritum sanctum ab illa cognitione excludat, jam supra demonstratum est, quando hoc testimonium adduximus: *Quis enim novit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso? ita et quae Dei sunt nullus cognovit, nisi Spiritus Dei* (1. Cor. 2, 11): ac rursum Filius ait: *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius* (Luc. 10, 22). Sic et hoc loco: *Non quia Patrem quis vidit, nisi qui est ex Deo: hic vidit Patrem* (Joan. 6,

46). Simul enim et perfetec illum nosse, et causam cur cognoscat, apponit. Quaenam haec causa? quoniam ex eo est: ex eo autem esse rursum demonstratur ex eo, quod ipsum cognoscat. Idcirco autem illum clare novit, quia ex ipso est. Signum vero quod ex ipso sit illud est, quod clare cognoscat ipsum. Substantia quippe substantiam superiorem non probe nosse potest [1]), etiamsi parvo intervallo distet. Audi enim quid de angelis propheta dicat simulque de humana natura, quod modicum sit inter utramque naturam discrimen. Cum enim dixisset: *Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam reputas eum?* adjecit: *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (Psal, 8, 5, 6). Attamen licet paulum sit discriminis, quia tamen aliquod interest discrimen, angelorum substantiam non accurate novimus, licetque millies philosophemur, reperire non possumus.

4. Sed cur de angelis loquor, cum ne animae quidem nostrae substantiam bene noscamus, imo vero nullatenus? Quod si illi se nosse contendant, interroga quae sit animae

---

1) *Non probe* i. e. non adaequate, comprehensive, sed imperfecte, secundum majorem minoremve analogiam.

substantia, num aër? num spiritus? an ventus? an ignis? Nihil eorum dicent: haec quippe omnia corpora sunt, illa vero incorporea. Angelos non noverunt, nec ipsas animas suas noscunt, horum autem Dominum et Creatorem se perfecte nosse contendunt,, ecquid hac insania deterius? Cur autem dico, quae sit animae substantia? ne quidem quomodo sit in corpore quispiam dicere potest. Quid enim dicatur? an eam in tota corporis mole extendi? Sed hoc absurdum, id quippe corporibus proprium est. Quod autem anima sic esse non possit, hinc liquet: saepe manibus pedibusque praecisis, integra illa manet, neque truncato corpore mutila efficitur. Verum in toto corpore non est, sed in parte quadam continetur: ergo reliqua membra mortua esse necesse est, nam quod inanimatum, mortuum est. At nec illud dicendum, sed illam quidem in corpore esse nostro scimus; quomodo autem sit, ignoramus. Propterea enim Deus hanc nobis cognitionem penitus occultavit, ut nobis ora frenaret, contineret, atque in infimis manere suaderet, ne quae supra nos sunt curiose scrutaremur, aut perquireremus. Verum ne haec ratiociniis nostris demonstremus, age, rursum ad Scripturam sermonem convertamus: *Non quia Patrem vidit quis-*

*quam, nisi qui ex Deo est, hic vidit Patrem* (Joan. 6,46). Verum quid hoc? inquiet: hoc dictum non ipsi cognitionem perfectam adscripsit, sed creaturam quidem eum non nosse declaravit his verbis: *Non quia Patrem vidit quisquam*, itemque dixit Filium ipsum nosse, haec subjungens: *Nisi qui est ex Deo: hic vidit Patrem.* Quod autem perfecte illum cognoscat, atque ita ut ipse se ipsum novit, id nondum demonstratum est. Fieri namque potest, ait, ut neque creatura eum clare cognoscat, neque Filius, sed clarius hic quam illa, et tamen perfectam comprehensionem non attingat. Nam illum quidem videre, ut est, et cognoscere se ait, perfecte autem cognoscere atque ut ipse se ipsum novit, id nondum declaravit. Vultisne igitur, ut a sacris Scripturis et ab ipsis Christi verbis id probemus? Audiamus quid judaeis ipse dicat: *Sicut cognoscit me Pater, et ego cognosco Patrem* (Joan. 10, 15). Quid hac cognitione perfectius deinde quaeras? Interroga adversarium, an Pater Filium perfecte novit omnimodamque ejus cognitionem habet, nihilque ipsum latet eorum quae Filium spectant, sed derfecta est scientia? Ita est, respondebit. Igitur cum audieris, ita eum nosse Filium ut ipse Filium novit, nihil ultra quaeras;

cum utrobique cognitio ita sit aequalis. Nam et alibi idipsum declaravit his verbis: *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (Matth. 11, 27). Revelat autem non quantum ipse novit, sed quantum nos capimus. Nam si Paulus ita facit, multo magis Christus. Discipulis quippe suis sic ille ait: *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis.* (1. Cor. 3, 1). Sed id corinthiis tantum, inquiet, dicit. Quid igitur si ostendamus, ipsum alia novisse, quae nullus hominum noverat, et cum solus sciret, sic e vivis discessisse? Ubinam autem id reperiri possit? In epistola ad corinthios, ubi ita loquitur: *Audivi arcana verba, quae non licet homini loqui* (2. Cor. 12, 4). Et tamen hic ipse qui audivit arcana verba, quae non licet homini loqui, particularem quandam cognitionem habet, et futura illa longe inferiorem. Qui enim illa dixit, sic etiam loquitur: *Ex parte cognoscimus et ex parte prophetamus. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus.* Et *Nunc video per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem* (1. Cor. 13, 10 s.).

Itaque ex his nobis tota illorum fallacia redarguitur, cum enim ipsa substantia ignoratur, non an sit, sed quid sit, extremae sane insaniae fuerit nomen ipsi tribuere. Quamquam etsi nota certaque esset, non tutum tamen esset, nos ipsos nomen nostro modo statuere substantiae Domini. Nam si Paulus supernis virtutibus nomina imponere non ausus est, sed cum dixisset, *Constituit Christum super omnem principatum et potestatem, et virtutem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro* (Ephes. 1, 21); nosque docuisset, esse quaedam virtutum nomina, quae tunc cognoscemus; nec ausus ipse est alia pro illis statuere, neque illa exquirere; qua venia, vel qua excusatione digni fuerint ii, qui circa Domini substantiam idipsum facere audent? Cum autem ipsa quoque substantia ignoretur, ipsos ceu furiosos aversari oportet. Nam quod Deus sit ingenitus palam est; quod autem illud sit ejus substantiae nomen, id nullus prophetarum dixit, nullus apostolorum subindicavit, nullusque evangelista; et recte quidem. Qui enim ipsam substantiam ignorarent, quomodo nomen ejus proferre possent [1]).

---

1) Ad rem statuit s. Thomas 1. p. q. 13. a. 1:

## 5. Ecquid loquor de divinis Scripturis, quando tanta est absurditatis illius evidentia,

---

„Voces sunt signa intellectuum et intellectus (conceptus) sunt rerum similitudines, et sic patet, quod voces referuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus. Secundum igitur, quod aliquid a nobis intellectu cognosci potest, sic potest a nobis nominari.“ Quare sicut Deus est *incomprehensibilis*, ita etiam est *ineffabilis* i. e. sicut adaequate a nobis concipi nequit, ita neque potest verbis adaequate exprimi atque definiri; et sicut omnes nostri de Deo conceptus deficiunt ab adaequata cognitione, ita omnia nomina, quae Deo tribuimus, deficiunt ab adaequata significatione: non enim eum significant sicuti est. Hanc ineffabilitatem Dei pulcherrime patres describunt. „Quaeres quid sit Deus? inquit Augustinus. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit. Quid quaeris, ut ascendat in linguam, quod in cor hominis non ascendit?“ Imo advertit idem s. doctor, Deum esse magis ineffabilem quam sit incomprehensibilis. Saepe enim contingit, ut difficilius sit aliquid verbis enunciare quam illud quoquo modo intelligere; hinc scribit de Trinit. (l. 7. c. 4. n. 7): „verius cogitatur Deus quam dicitur, et verius ost quam cogitatur.“ Et contra Adimantum Manichaei discipulum c. 7. n. 5: „De qua (majestate divina) quidquid dictum fuerit, indigne dicitur, quia omnes opes linguarum omnium ineffabili majestate praecedit“. Novatianus de Trinit c. 2.: „Sentire Deum taciti aliqualenus possumus, ut autem ipse est, sermone explicare non possumus. Sive enim illum dixeris *lucem*, creaturam ipsius magis quam ipsum dixeris, ipsum non expresseris.

tanta iniquitatis magnitudo, ut ne gentiles quidem, qui a veritate aberraverant, quid si-

---

Sive illum dixeris *virtutem*, potentiam ipsius magis quam ipsum dixeris et deprompseris. Sive dixeris *majestatem*, honorem ipsius magis quam ipsum illum descripseris. Et quid per singula quaeque percurrens longum facio? Semel totum explicabo. Quidquid omnino de illo retuleris, rem aliquam ipsius magis et virtutem quam ipsum explicaveris. Quid enim de eo condigne dicas aut sentias, qui omnibus et sermonibus et sensibus est major? Nisi quod uno modo et hoc ipsum quomodo possumus, quomodo capimus, quomodo intelligere licet, quid sit Deus mente capiemus: si cogitaverimus id illum esse, quod quale et quantum sit non possit intelligi, nec in ipsam quidem cogitationem possit venire ..... Quid enim de eo (ut iterum repetam) condigne dicas, qui est sublimitate omni sublimior, et altitudine omni altior, et omni luce lucidior, omni robore robustior, omni virtute viritior, omni pulchritudine pulchrior, veritate omni verior, et omni fortitudine fortior, et majestate omni major, et omni potentia potentior, et omnibus divitiis ditior, omni prudentia prudentior, et omni benignitate benignior, omni bonitate melior, omni justitia justior et omni clementia clementior?“ Chrysostomus hom. 1. quod daemones non gubernent mundum n. 3: „Quemadmodum laevia et lubrica corpora, licet innumeris manibus teneantur, nobis elabuntur et facile effugiunt, sic et Dei benignitatem, quantiscunque nominibus complecti conamur, ne sic quidem comprehendere possumus, sed verborum nostrorum imbecillitatem ejus magnitudo longo superat intervallo.“ Gregorius Moral. l. 27. c. 16: „Si

mile unquam dicere ausi sint: nemo enim ex illis divinae substantiae definitionem efferre

---

homo de Deo loqui coeperit, illico quam sit nihil homo ostenditur, quia magnitudinis illius immensitate devoratur et quasi in profundum raptus absconditur, quia fari ineffabilem cupiens, ipsa suae ignorantiae angustia deglutitur. Loquitur enim caro de spiritu, circumscriptus de incircumscripto, creatura de creatore, temporalis de aeterno, mutabilis de immutabili, mortalis de vivificante et cum in tenebris positus internum lumen sicut est nesciat, homo de aeternitate disserere cupiens, caecus de luce loquitur.« Idem s. doctor Mor. l. 20. c. 32. n. 62. acute advertit: „In Scriptura s. cum de Deo aliquid indignum dicitur, movetur loquentis animus, velut si aliquando de Deo aliquid dignum dicatur. Pene omne quippe quod de Deo dicitur, eo ipso jam indignum est, quo potuit dici. Nam cujus laudi non sufficit obstupescens conscientia, quando sufficiet loquens lingua? Sanctus autem Spiritus hoc ipsum hominibus intelligentibus insinuans, quam sint ineffabilia summa et divina, his etiam verbis nonnunquam de Deo utitur, quae apud homines habentur in vitio, ut ex his, quae indigna videntur hominibus et tamen dicuntur de Deo, admoneantur scire homines, quod nec illa jam Deo digna sint, quae dum digna habentur apud homines, digna putantur Deo.« Hinc praeclarissime infert s. Augustinus Confess. l. 1. c. 4: Vae tacentibus de te, quoniam loquaces muti sunt.« Propter hanc ineffabilitatem vocant patres Deum ἀνώνυμον, quamvis illum etiam duplici alia de causa ita appellent; nomen scil. imponere alicui est superioris, quo caret Deus, et ratio impositionis (saltem inter homines) est, ut quis

tentavit, eamque uno complecti nomine ausus est. Et quid loquor de divina substantia, quando ne de incorporea quidem natura philosophantes, ejus perfectam definitionem statuerunt; sed obscuram tantum descriptionem et delineationem potius, quam definitionem. Verum quid sapientes illi objiciunt? Ergo ignoras, ajunt, id quod colis? Huic plane objectioni ne respondendum quidem esset, postquam ex Scripturis perspicue demonstratum est, cognosci non posse quid secundum substantiam sit Deus. Quia vero non inimico

---

ab aequali distinguatur: Deus autem aequalem non habet, hinc non indiget nomine quo distinguatur. Sed licet Deus a nobis comprehendi et hinc adaequate enunciari nequeat, poterit tamen, quia quadantenus a nobis cognoscitur, quadantenus etiam nominari, qua duplici propositione patrum dissidium apparens circa De i nomina apte componitur. Imo quia Deum propter infinitam suam perfectionem nostrique intellectus augustias innumeris mentis conceptibus apprehendimus, ita innumeris quoque nominibus et praedicatis eum designare licet; hinc Dionysius Areopagita c. 1. de divinis nominibus sicut Deum dixerat ἀνώνυμον, ita etiam vocat πολυώνυμον. Ad rem s. Augustinus Tract. 13. in Joan. n. 5: „Omnia possunt de Deo dici et nihil digne dicitur de Deo. Nihil latius hac inopia. Quaeris congruum nomen, non invenis; quaeris quoquo modo dicere? Omnia invenis.“

loquimur animo, sed ut eos emendemus: age, ostendamus non ignorare quid secundum substantiam sit Deus, sed id se nosse contendere, illud esse Deum ignorare. Dic enim mihi, si duo homines de magnitudinis coeli notitia inter se contenderent, quorum alter diceret, non posse humano oculo coelum comprehendi; alter vero affirmaret posse hominem palmo totum dimetiri; quem ex his diceremus coeli magnitudinem nosse; eumne qui contenderet, se nosse quot palmos habeat, an eum qui se ignorare profiteretur? Quod si is qui coeli magnitudini cedit, ipse potius novit ejus magnitudinem: quare non de Deo pari cum reverentia loquemur? Quomodo non id extremae dementiae fuerit? Quod autem id solum requiratur a nobis, ut sciamus Deum esse, non ut ejus substantiam curiose scrutemur, audi Paulum loquentem: *Credere enim oportet eum, qui ad Deum accedit, quia est* (Hebr. 11, 6). Rursum propheta, cum impietatis quempiam accusaret, non ei vitio vertit, quod ignoraret quid sit Deus, sed quod eum esse nesciret. Nam ait: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus* (Psal. 13, 1). Igitur ut ille impius est, non quod ignoret quid secundum substantiam sit Deus, sed quod ignoret Deum esse; sic ad piam reli-

gionem sufficit, ut sciatur Deum esse. Sed habent illi aliam meditatam argumentandi rationem: quam illam? Dictum est, inquiunt, *Spiritus est Deus* (Joan. 4, 24). Hoccine, dic mihi, substantiam ejus declarat? Ecquis haec ferat, si vel tantillum ad Scripturae sacrae fores accesserit [1])? Nam hac ratione Deus ignis quoque erit; quemadmodum enim

---

1) Ne minus efficax videatur haec argumentandi ratio (ad hominem), advertatur, eos, contra quos disserit, statuisse, se Deum adaequate nosse, idque inde confirmasse, quod nominum, quae Deo tribuuntur, vim accurate perciperent; ita ex gr. ad spiritus nomen provocarunt. Jam vero hanc praecipitem argumentandi rationem retundit s. doctor, tum quia Deo plurima nomina tribuuntur, quae certissime ejus substantiam non designant: dicitur enim v. gr. ignis, fons etc.; quare etiam si nominum, quae de Deo praedicantur, vim exacte perspiciamus, nondum propterea ejus substantiam comprehendemus: tum quia plura nomina multiplicem habent significationem, ut ipsum nomen *spiritus*: proinde etiamsi noverimus, quo nomine Deus appelletur, nondum statim licet affirmare quid Deus sit, quin ante accurate determinaverimus, *quo sensu* Deus ita appelletur: neque enim quocunque sensu illud nomen licet tribuere, ut patet ex ipsa voce spiritus, quae varia significat. Hunc vero determinare sensum sat difficile est, nec sufficit vocem audivisse vel pronunciasse, ut id simul innotescat. Argumentum ergo ex nominibus, quae subinde clara videntur, non juvat anomoeos.

scriptum est: *Spiritus est Deus*; ita quoque scriptum est: *Deus noster ignis consumens est* (Hebr. 12, 29); ac rursum: *Fons aquae vivae.* Neque spiritus, fons et ignis tantum erit; sed etiam anima, ventus, mens humana, et alia his longe absurdiora; non enim omnia recensere opus est, neque illorum insaniam imitari. Hoc enim nomen *Spiritus* multa significat: animam nempe nostram, ut ait Paulus: *Tradite hujusmodi hominem satanae, ut spiritus salvus sit* (1. Cor. 5 5); itemque ventum secundum prophetam: *Spiritu vehementi conteres eos* (Psal. 47, 8); donum etiam spirituale sic vocatur: *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro* (Rom. 8, 16); ac rursum: *Orabo spiritu, orabo et mente* (1. Cor 14, 15): vocatur item ira; Isaias enim ait: *Nonne tu eras, qui meditabaris spiritu tuo duro interimere eos* (Isai. 27, 8)? Auxilium quoque Dei vocatur spiritus: *Spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus.* Haec ergo omnia Deus erit ex illorum sententia, atque ex illis rebus constabit. Sed ne nugaces simus illa afferendo, quae ne confutationem quidem merentur: age, adversus illos disceptandi finem faciamus, et ad orandum convertamur, tanto magis pro illis rogantes et supplicantes, ut ab

insania absistant, quanto magis illi impie agunt. Hoc enim gratum acceptumque erit Deo servatori nostro, *qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (1. Tim. 2, 4).

6. Ne desinamus itaque preces pro illis emittere: magnum enim telum oratio, thesaurus indeficiens, divitiae inexhaustae, portus fluctibus vacuus, occasio tranquillitatis: innumerabilium bonorum radix, fons et mater est oratio, ipsoque regno potentior. Saepe itaque illo ipso, qui diademate ornatur, febricitante et in lecto jacente, adstant medici, satellites, famuli, duces: neque medicorum ars, neque amicorum praesentia, non servorum famulatus, non medicamentorum varietas, non apparatus magnificentia, non pecuniarum copia, nec aliud quidpiam humanum potest aegrotanti solatium afferre. Si quis vero eorum, qui in Domino fiduciam habent, ingrediatur, corpusque solummodo tangat, puramque pro illo orationem emittat, infirmitatem omnem abigit. Quodque non divitiae potuerunt, non ministrorum frequentia, non medicinalis experientia, non regius fastus, hoc saepe potuit unius pauperis et inopis oratio. Orationem dico, non hanc levem et segnitie plenam, sed ferventem, quae animo dolente et intenta men-

te funditur. Haec quippe in coelum ascendit: ac quemadmodum aquae, donec in plano loco feruntur et latum spatium occupant, non in sublime ascendunt; cum autem manus artificum ipsas comprimens in angustum deduxit, telo velociores sese in altum jaculantur; sic et humana mens, donec multa fruitur licentia, diffunditur et effluit; cum autem aerumnis deprimitur in angustumque deducitur, sic probe exercitata puras et ferventes in altum emittit orationes. Ut autem ediscas illas maxime exaudiri posse, quae in angustia emittuntur, audi prophetam: *Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me* (Psal. 119, 1). Igitur nostram ferventem faciamus conscientiam, animam peccatorum memoria affligamus; affligamus, inquam, non ut in angustam deducamus viam, sed eam ita comparemus, ut exaudiatur; ut sobriam, vigilem ipsumque coelum tangentem reddamus. Nihil ita segnitiem et socordiam abigit, ut moeror et afflictio, quae undique mentem colligit, et ad se ipsam reverti facit. Qui sic in afflictione et in oratione versatur, post emissas preces magnam animo voluptatem capere valebit. Ac quemadmodum nubium conflictus principio aërem caligine offuscat; ubi vero crebras emiserit stillas, evacuata

pluvia, serenum laetumque aërem relinquit; sic et moeror donec intus versatur, cogitationem obducit nostram: postquam autem orationis verbis, comitantibus lacrymis, evacuatus fuerit et ejectus difflatusque, magnam affert animi laetitiam, Dei patrocinio radii instar in orantis mentem illapso. Verum quisnam ille frigidus multorum sermo? Vereor, inquiunt, pudore suffundor, neque possum vel os diducere. Satanica est haec verecundia, segnitiei obtentus. Tibi namque diabolus aditum ad Deum occludere tentat. Fiduciane cares? Magna fidendi causa, magna utilitas, si te putas fidendi causam non habere; ut contra pudor extremaque damnatio, si te putas fidendi causam habere: quamquam enim multa bona opera feceris, quamquam nullius sis tibi conscius mali, si putes te fidendi causam habere, ab oratione penitus excidisti. Contra si onera peccatorum innumera in conscientia habes, modo tibi persuadeas te omnium ultimum esse, magnam habebis apud Deum fiduciam: licet id nulla humilitas sit, cum sis peccator, te peccatorem existimare. Humilitas quippe est, cum quis multorum magnorumque meritorum sibi conscius, nihil magni de se ipso existimat; cum quis Paulo similis dicere potest: *Nihil mihi*

*conscius sum;* et tamen addit, *sed non in hoc justificatus sum* (1. Cor. 4, 4); ac rursum: *Christus Jesus venit peccatores salvare, quorum primus sum ego* (1. Tim. 1, 15). Hoc est humilitas, cum quis excelsus operibus sese mente humiliat. Attamen Deus propter ineffabilem clementiam suam non eos modo, qui humiliter sentiunt, sed etiam eos, qui bono animo sua confitentur peccata, admittit, recipit, sicque affectis propitius est. Ut autem discas, quantum bonum sit non altum sapere, duos finge currus, junge justitiam cum arrogantia et peccatum cum humilitate; videbisque peccati currum justitiae currum praecedere: non propria vi, sed conjunctae humilitatis virtute: alium item currum superari videbis, non justitiae infirmitate, sed onere moleque arrogantiae. Quemadmodum enim humilitas praecellentia sua peccatorum gravitatem vincit, et ad coelum usque pertingit; sic et arrogantia mole et gravitate sua potest justitiae levitatem vincere, illamque facile deorsum trahere.

7. Ut autem videas hanc bigam illa velociorem esse, recordare pharisaei ac publicani. Junxit pharisaeus justitiam et arrogantiam, sic loquens: *Gratias tibi ago, quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, injusti, ne-*

*que sicut hic publicanus* (Luc. 18, 11). O insaniam! Universa hominum natura ejus arrogantiam explere non potuit, sed publicano proxime posito insipienter admodum insultavit. Quid igitur ille? probra non repulit, non aegre tulit criminationem, sed quod dicebatur bono excepit animo, inimicique telum ipsi versum est in medicamentum et curationem, probrum in laudem, criminatio in coronam. Tantum est humilitas bonum, tantum lucrum non morderi probris illatis, nec efferari contumeliis. Ex iis quippe magnum fructum ingensque bonum comparare possumus, quod et publicano contigit. Probra enim excipiens, peccata deposuit, cumque dixisset: *Propitius esto mihi peccatori* (Ibid. 13), descendit justificatus prae illo, et dictis facta superata sunt, verbis gesta. Alter quippe justitiam praetendebat, jejunia, decimas; hic verba simplicia proferebat, et omnia peccata deposuit. Non enim verba solum Deus audivit, sed mentem, qua haec proferrentur vidit, illamque humiliatam et contritam miseratus est ac benigne excepit. Haec porro dico, non ut peccemus, sed ut humiliter sentiamus. Nam si publicanus homo, quod est extremum aequitiae genus, non humili tantum, sed probo animo peccata sua confessus, et id quod

erat testificatus, tantam sibi Dei benevolentiam conciliavit, quantam ii, qui cum praeclara gesserint, non altum tamen sapiunt, sibi opem attrahunt. Quamobrem etiam atque etiam hortor, rogo et oro, ut frequenter Deo confiteamini. Non te in theatrum conservorum tuorum duco, neque hominibus peccata revelare cogo [1]); conscientiam tuam expande

---

1) Ad haec et similia, quae leguntur hom. 8. et 9. de poenit.; hom. 20. de Gen.; hom. 2. in Ps. 50; hom. 4. de Lazaro; hom. quod peccata non sunt evulganda; hom. non esse ad gratiam concionandum; hom. de poenit. et moestitia Achab; hom. 20. in Matth.; hom. 28. in 1. Cor.; hom. 31. in ep. ad Hebr., provocant adversarii dogmatis catholici de institutione divina confessionis sacramentalis. Non diffitemur haec gravem facessere difficultatem, si per se et seorsim spectentur et non considerentur in lumine traditionis coaevae practicae et theoreticae. Verum ad solvendam hanc difficultatem advertimus 1. vix esse credibile Chrysostomum hac in re aliis adversari patribus, quibuscum in eadem Ecclesia, hinc *in eadem fide* vivebat et qui confessionis necessitatem tuebantur, quin ullum hujus dissensionis vestigium appareat. Vix credibile est 2. s. doctorem sibi ipsi adeo contradicere, nam confessionis necessitatem alibi docet saltem aequivalenter de sacerdotio l. 3. n. 5. (quem l. cf. opusc. 5, 209. annot.). Accedit 3. quod inter alia accusationis capita ipsi in conciliabulo ad Quercum habito a. 403. objecta et illud fuisse legimus apud Photium cod. 59 (Migne patrol. gr.

coram Deo, ostende ipsi vulnera, et ab eo medicamenta postula: ostende non exprobranti, sed curanti: licet enim taceas, ipse novit omnia. Dic igitur, ut id lucro tibi sit: dic, ut illis hic depositis, illo habeas purus et a delictis vacuus, et ab intoleranda promulgatione illa libereris. Tres pueri illi in

---

103, 111): „Quod licentiam peccantibus praebeat sic docens: Si iterum peccasti, poeniteat iterum: et quoties peccaveris, veni ad me, ego te sanabo.“ Cum ergo ipse veniam pollicitus sit peccatoribus, sed non citra sacerdotis ministerium: sacerdotalis vero potestas peccatores sanandi secundum s. doctorem sit *judicialis*, quae citra causae discussionem exseri nequit, credi vix potest, eum haec omnia aliis in locis penitus ignorasse, et non potius in hac suppositione esse locutum ea scil. supponens, quae ex vulgatissima disciplina erant auditoribus jam nota. Quoad plura testimonia praeterea 4. dici potest vel a) s. doctorem prae oculis habere peccata quotidiana vel alias jam remissa, de quibus tamen semper poenitentia est agenda: vel b) eum loqui de confessione Deo primum facienda, cujus fructus sit eligere media pro peccatorum remissione impetranda, inter quae est etiam, si peccata sint gravia, recursus ad clavium potestatem et confessio; vel c) ea explicari possunt secundum dicta in annotatione opusc. 5, 195 ss.; vel denique d) loquitur Chrysostomus de confessione Deo sed *per sacerdotem* facienda in oppositione ad confessionem, quam rei coram judicibus facere debebant, quae solis hominibus et quidem pluribus cum magno rei damno et pudore fiebat.

camino degebant animamque suam pro Domino dederunt: attamen post tot tantaque virtutis officia dicunt: *Non possumus aperire os, confusio et opprobrium facti sumus servis tuis, et colentibus te* (Dan. 3, 33). Cur itaque os aperitis? Ut hoc ipsum dicamus, inquiunt, non licere nobis os aperire, et eo ipso Dominum leniamus. Orationis vis vim ignis extinxit, leonum furorem refrenavit, bella composuit, pugnas sedavit, tempestates sustulit, daemones fugavit, coeli portas aperuit, vincula mortis abrupit, morbos ejecit, damna repulit, urbes concussas firmavit, inflictas coelitus plagas, hominum insidias, omnia denique mala sustulit oratio. Orationem porro dico, non eam quae ore tenus effertur, sed eam quae ex intimo mentis ascendit. Quemadmodum enim arbores illae, quae radicem altius miserint, etsi innumeros ventorum impulsus excipiant, non franguntur, nec evelluntur, radicibus in imo terrae firmiter haerentibus: sic orationes ex intimo mentis emissae, hac innixae radice, secure in sublime tolluntur, nulloque cogitationum impetu subvertuntur: ideo propheta dicebat: *De profundis clamavi ad te, Domine* (Psal. 129, 1). Haec dico non ut laudetis tantum, sed ut factis etiam exhibeatis. Nam si ho-

minibus calamitates proprias narrare iisque mala sua describere, id quandam affert moerentibus consolationem, ac si illa per loquelam exsufflentur; multo magis si animi tui miserias Domino tuo communicaveris, quandam recreationem consolationemque multam accipies. Homo enim saepe gravatur querentis lugentisque fastidio, eumque rejicit abigitque: at Deus non item, sed admittit ac pertrahit: si calamitates tuas ipsi communicare diu pergas, tunc te magis diligit, tuisque precibus annuit. Hoc ipsum indicans Christus dicebat: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (Matth. 11, 28). Vocat igitur, ne inobsequentes simus; attrahit, ne resiliamus; etsi peccatis innumeris obnoxii simus, tunc magis accurramus: hujusmodi enim homines vocat ille: *Non veni*, inquit, *vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam* (Id. 9, 13). Oneratos hic vocat eos, qui laborant, qui peccatorum gravitate affliguntur; vocatur enim Deus consolationis et Deus misericordiarum (2. Cor. 1, 3): quoniam hoc ejus officium est perpetuum, ut dolentes et afflictos consoletur et hortetur, etiamsi innumeris sint peccatis onusti. Tantum nos ipsi dedamus, tantum accurramus ad eum, nec desistamus, atque

experimento dictorum veritatem ediscemus, nullaque res nos dolore afficere poterit, si assidua et accurata oratione utamur. Quidquid enim accidat, per illam facile depellere poterimus. Ecquid mirum si humanas aerumnas oratio solvere possit, quando peccatorum naturam ita facile exstinguit et delet? Ut igitur praesentem vitam cum facil itate transigamus, et peccata quae contraximus, deponamus cumque fiducia stemus ante tribunal Christi, hoc nobis perpetuo medicamentum paremus, lacrymis, studio, assiduitate, patientia illud condientes; ita enim et perenni fruemur valetudine, et futura consequemur bona, quae nos omnes adipisci contingat gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria simulque sancto Spiritui, nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

# S. P. N. GREGORII

## THEOLOGI

### ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

## ORATIONES THEOLOGICAE.

## ORATIO THEOLOGICA I.

Adversus Eunomianos praevia dissertatio.[1])

## ARGUMENTUM.

---

I. In ornate dicendi cupidos invehitur Gregorius. II. Haeretici circulatoribus comparati. III. De Deo disserere opus difficillimum. Quando de Deo disserendum, apud quos, de quibus et quousque. IV. Deus perpetua memoria colendus est. Non intempestive de Deo disputandum. V. Non apud quosvis homines de Deo loquendum. Haeretici dogmatum suorum robur in nostra imbecillitate quaerunt. VI. De fide non disputandum coram ethnicis. VII. Qualis debeat esse rei theologicae magister. VIII. In coelo mansiones multae omnesque implebuntur. Nihil frustra Deus facit. Via ad vitam ducens una est et angusta. IX. Vehemens in haereticos objurgatio. X. Christianus ethnicorum fabulas refellere debet.

---

1) In editione maurina 27. al. 37.

1. Ad eos, qui ornate dicendi cupiditate flagrant, mihi sermo erit. Et ut Scripturae verbis exordiar: *Ecce ego adversum te contumeliosam* (Jerem. 50, 31), tam in docendo, quam in audiendo et cogitando. Sunt enim, sunt quidam [1]), quibus non aures dumtaxat, sed etiam lingua, atque adeo manus quoque ipsae, ut video, ad sermones nostros pruriunt, quique inanibus verbis et contentionibus falso nominatae scientiae, ac disputationum pugnis (1. Tim. 6, 4), quae nullam utilitatem afferunt, oblectantur. Sic enim quidquid in verbis vel supervacaneum vel curiosum est, vocat Paulus, ille breviati verbi (Rom. 9, 28) praeco et assertor, ille piscatorum discipulus ac praeceptor. Hi vero de quibus orationem habemus, utinam quemadmodum linguam volubilem habent, atque nobilioribus et probatioribus verbis insectandis acrem et vehementem, sic etiam in agendo eandem operam collocarent. Parum igitur et minus fortasse cavillatores essent, si id facerent, nec tam absurde atque insolenter in verbis, perinde atque in aleae ludo, versarentur, ut ridicule de re ridicula loquar.

---

1) *Sunt quidam* scil. eunomiani, quos hic s. doctor insectatur.

2. Quoniam autem, omni pietatis via sublata et deleta, hoc unum sibi proponunt, ut quaestiones vel stringant, vel solvant (quemadmodum, qui in theatris vulgi oculis certamina ostentant, et quidem ejusmodi certaminum genera, quae non juxta palaestrae leges victoriam comparant, sed imperitorum dumtaxat oculos perstringunt, ac laudem a spectatoribus captant) et res huc redit, ut horum disputationibus et forum omne circumstrepat. et convivia omnia hujusmodi nugarum taedio obtundantur, et festum omne infestivum sit ac moestitiae plenum, et luctus omnis majori calamitate, hoc est quaestionum argutiis, mitigetur [1]), ac denique gynaecea omnia, simplicitatis alumna, turbentur, et pudoris flos praecipiti hac contendendi libidine compiletur, quoniam, inquam, haec ita se habent, adeoque intoleranda est vis hujus mali, ut periculum sit, ne magnum fidei nostrae mysterium exigua quaedam articula [2]) esse videatur: age, nos paternis visceribus incitatos, atque, ut Jeremiae verbis utar, sensoriis distortos et laniatos [3]), exploratores

1) *Mitigetur* i. e. res jam huc processit, ut eunomiani tristes et afflictos majori calamitate affligerent, pro solatio quaestionum argutias proponendo.

2) *Articula* τεχνύδριον vilis quaedam argutandi ars.

3) Respicere videtur verba Jer. 4, 19, quae vul-

isti hactenus perferant, ut, quae de his rebus dicturi sumus, aequo animo excipiant: ac lingua, si modo queant, aliquamdiu frenata, nobis aures praebeant. In qua re nihil profecto est, cur damni quidquid metuatis. Aut enim ego in aures audientium loquar (Eccli. 25, 12), atque ita fructum aliquem, hoc est, utilitatem vestram, oratio allatura est (quamquam enim is qui verbum Dei seminat (Matth. 13, 4), in animos omnes seminat, tamen probi dumtaxat atque fecundi fructum ferunt); aut ita discesseritis, ut hunc quoque sermonem nostrum explodatis, uberioremque contradicendi nobisque conviciandi materiam nanciscamini, quo plenius etiam animos vestros pascatis. Nec vero mirum vobis videatur, si quid a vestra opinione ac lege vestra alienum dixero, qui scire vos omnia et docere profitemini perquam fortiter ac generose, non enim dicam stulte et temere, ne quid animos vestros offendam.

3. Non cujusvis est, o viri, de Deo disserere, non, inquam, cujusvis; non adeo vilis

---

gata ita reddit: *Ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me.* — *Exploratores* κατάσκοποι, eunomiani, maxime eorum pseudepiscopi, qui s. doctoris verba explorabant et litigandi causas sedulo quaerebant.

ac protrita haec res est et eorum, qui humi adhuc reptant. Addam etiam non cujusvis temporis, nec apud quosvis, nec de quibusvis; sed certo tempore, et apud certos homines, et aliquousque hoc faciendum est. Non cujuslibet quidem, quoniam hoc muneris his dumtaxat incumbit, qui exactissime explorati sunt, ac contemplando longe processerunt, priusque etiam et corpus et animum a vitiorum sordibus purgarunt, aut, ut parcissime loquar, jam hoc agunt, ut se a vitiorum labe purgent. Impuro enim rem puram attingere, ne periculo quidem fortasse caret, quemadmodum nec aegris oculis solis radios intueri. Quando autem? Tum videlicet, cum ab externo luto [1]) ac tumultu quietem agimus, nec princeps nostri pars improbis vagisque simulacris confunditur, dum velut deformibus literis elegantes literas coenoque unguentum admiscemus. Vacare enim haud dubie oportet, et Deum cognoscere: cumque tempus acceperimus [2]), id agendum est, ut divinae doctrinae rectitudinem judicemus. Apud quos porro? Nempe apud eos, qui rem hujusmodi

---

1) *Externo luto* i. e. a carnis studio et terrenis negotiis.

2) Respicit verba Ps. 74, 3: *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.*

studiose ac serio amplectuntur, quique non ut quidpiam aliud, sic hoc quoque inepta nugacitate prosequuntur, post circenses ludos et spectacula, post cantiones, post denique quam ventri et iis, quae sub ventre sunt, indulserint; qui quidem ita perdite affecti sunt, ut hoc quoque in oblectamentorum parte numerent, nimirum de divinis rebus nugari, atque arguta disputatione concertare. Jam de quibus et quousque disputandum? De his solum, quae ingenii nostri modulum atque auditoris captum non excedunt: ne alioqui, ut nimia vocis intentio atque immodicus cibus aures et corpora labefactat; aut, si mavis, sarcinae viribus graviores bajulorum humeros ac crebriores pluviae terram opprimunt; ita etiam auditores quaestionibus gravioribus ac durioribus oppressi atque confecti pristinas quoque vires amittant.

4. Neque vero haec quisquam ita accipiat, quasi Deum perpetua memoria colendum esse negem, ne rursus adversum nos irruant, qui omnia facile ac statim in calumniam trahunt. Nec enim tam saepe spiritum ducere, quam Dei meminisse debemus: imo, si hoc etiam dici potest, nihil aliud quam hoc faciendum. Nam et ego inter eos nomen meum profiteor, qui verbum illud probant, quod nos die ac

nocte jubet meditari (Psal. 1, 2), vespere et mane et meridie narrare (Id. 54, 18), ac denique benedicere Dominum in omni tempore (Id. 33, 2); sive, ut verbis Moysis utar, dormiamus, sive consurgamus, sive iter faciamus (Deut. 6, 7), sive quid aliud agamus, atque hac ipsa recordatione ad puritatem informari. Quocirca, ne quis perpetuo Deum memoria teneat, haud veto, sed ne de Deo disputet; imo nec hoc prohibeo, ne de Deo disputes, velut quid impium, sed ne intempestive: nec hoc ago, ut docendi munus explodam, sed ne mediocritatis fines transiliat. An vero, cum mellis quoque ipsius, quantumvis dulcis, satietas vomitum moveat (Prov. 25, 27.) suumque cuique negotio destinatum sit tempus (Eccle. 3, 1), ut ego cum Salomone censeo; cumque ea, quae per se bona sunt, nisi bene tractentur, boni gratiam perdant (non aliter atque hieme intempestivi sunt flores, nec mulieribus virilis, nec viris muliebris ornatus convenit, nec luctui geometria [1]), nec convivio lacrymae), hic solum nullam temporis rationem habebimus, ubi maxima ejus ratio habenda est?

---

1) *Nec luctui geometria.* Haec videntur expressa ad Eccli. 22, 6; ***Musica in luctu importuna narratio.***

5. Absit, o amici ac fratres; fratres enim adhuc vos appello, tametsi parum fraterno erga nos animo sitis; absit ut ita sentiamus, ac velut equi feroces et indomiti, ratione, quasi sessore, excussa religiosaque gravitate, qua praeclare compescimur, repudiata, procul extra metam curramus; verum finibus nostris disputationes nostras coërceamus, nec in Aegyptum [1]) praecipites feramur, nec ad Assyrios pertrahamur, nec canticum Domini in terra aliena cantemus (Psal. 136, 4), hoc est, apud quosvis auditores, tam nostrates quam extraneos, tam hostes quam amicos, tam benignos quam malignos ac praeposteros, qui summo studio res nostras explorant, nihilque avidius expetunt, quam ut malorum nostrorum scintilla in flammam surgat, quam etiam furtim exsuscitant atque accendunt, auraeque suae afflatu in coelum attollunt, et babylonica flamma (Dan. 3, 22) in orbem omnia populante sublimiorem reddunt. Quoniam enim in suis dogmatibus nihil sibi praesidii roborisque constitutum vident, hoc in nostrarum rerum imbecillitate venantur. Ac proinde, quemadmodum muscae vulneribus,

---

1) *Nec in Aegyptum* i. e. nec aliena dogmata sectemur.

ita nostris calamitatibus, aut, si mavis, erratis imminent. At nos quidem nosmetipsos diutius ne ignoremus, nec moderationem, quae in his rebus tenenda est, aspernemur. Quod si inimicitias atque odia exstinguere non possumus, illud saltem inter nos conveniat, ut mystica mystice et sancta sancte proloquamur, nec in profanas aures, quae in vulgus efferri nefas est, projiciamus, nec patiamur religiosiores quam nos videri eos, qui daemones adorant, et turpium fabularum ac rerum cultum profitentur; quippe qui iis, qui non iisdem sacris initiati sunt, cruorem potius suum impertirentur, quam sermones, quibus mysteria sua detegerent [1]). Agnoscamus, ut in vestitu, victu, risu atque incessu, sic in sermone ac silentio modum quendam ac decorum tenendum esse, praesertim cum inter tot Dei virtutes ac nomina Λόγον quoque, hoc est, Verbum colamus [2]); atque contingat, ut ipsa etiam contentio nostra legitima sit.

---

1) Hisce insinuatur *arcani disciplina*, quae etiam versabatur circa sublimiora fidei mysteria, neque enim haec citra selectum cuivis pandebantur. Cf. opusc. 23. p. 6 ss. in annot.

2) Cum Deum Verbum λόγον colamus, necesse est ut noster sermo, nostrum de Deo verbum secundum rationem rectam sit, debitum modum servet: tale enim verbum eum decet, qui ipsa est ratio ipsum

6. Cur Dei generationem et creationem, atque Deum ex nihilo ortum, cur sectiones et divisiones, ac resolutiones ille audit, qui saevo atque infenso animo hujusmodi sermones expendit [1])? Cur accusatores ipsos judices constituimus? Cur hostibus in perniciem nostram gladios porrigimus? Quo pacto, quove

---

subsistens Verbum. Quo sensu etiam Amalarius trevirensis episcopus in ep. ad Petrum ab. scribit (Mig. 99, 891); „Si illi (gentiles) hoc vel illud argumentantur (f. argutantur) rationis (ut scil. suos ludos etc. allegorice exponant), quanto magis totum, quod rationis est, christianus sequi debet, qui summae rationi Deo se sponsorem facit.“

1) Gregorius hic perstringit eunomianos, qui apud gentiles, quibus non licebat talia audire, de Deo arroganter et cum ostentatione disserebant, cum ipsi in deorum suorum patrocinium ejusmodi sermones etiam adhibere possent. Nam eunomiani creatum esse Filium Dei contendebant, nec aliam in Deo generationem cogitare poterant, quam quae esset per sectionem, corruptionem etc., atque talem generationis notionem dogmati catholico per inscitiam vel malitiam supponebant, ut illud dein facilius possent impugnare. Gentiles autem audientes talia ex ore eorum, qui se christianos jactitabant, scandalo afficiebantur ac in suo confirmabantur errore, cum religio christiana tot errorum monstris ab eunomianis foedata, vix ab eorum differret somnis. — *Cur accusatores* i. e. gentiles, qui christianorum calumniantur mysteria, *judices constituimus* admittentes eos ad nostras disputationes seu coram ipsis disputantes?

animo eos hujusmodi sermonem accepturos censes, qui adulteria et puerorum stupra laudibus efferunt, qui vitia adorant, nec quidquam supra corpus cogitare possunt, qui heri et nudiustertius deos sibi condiderunt, eosque turpissimis facinoribus claros et nobiles? Annon crasse? non foede? non inepte? non suo denique more? Nonne deorum suorum ac vitiorum patrocinium a theologia tua haurient? Nam cum his vocibus ipsi per summam calumniam utamur, quo tandem modo illos adducere queamus, ut philosophiam nostram amplectantur? Cumque per se ipsi in comminiscendis malis solertes sint, quando tandem ab oblatis abstinebunt? Haec nobis bellum civile atque intestinum attulit. Haec illi, qui pro Verbo acrius, quam Verbo ipsi gratum sit, depugnant: nec hominibus furore correptis dissimiles sunt, qui suas domos incendunt, vel liberos dilacerant, vel parentes protrudunt, utpote qui pro alienis eos habeant.

7. Jamvero posteaquam eos, qui a nobis alieni sunt, a divinarum rerum auscultatione submovimus, atque in porcorum gregem numerosam legionem in profundum ruentem (Luc. 8, 30. et seqq.) ablegavimus, sequitur jam ut nosmetipsos inspiciamus, ac statuae

cujusdam instar, theologum ad omnem elegantiam expoliamus. Illud vero prius expendendum est, quae haec tanta disputandi cupiditas ac linguae prurigo? Quis novus hic morbus aviditasque inexplebilis? Cur manibus vinctis [1]) linguam armavimus? Non hospitalitatem, non fraternam caritatem, non mutuum conjugii amorem, non virginitatem laudamus? Non pauperum alendorum curam, non Psalmorum cantum, non nocturnam stationem, non lacrymas admiramur? Non corpus jejuniis premimus? Non per orationem ad Deum peregrinamur? Non, ut eos facere par est, qui justos se humano temperamento judices praebent, deteriorem partem praestantiori, hoc est, pulverem spiritui subjicimus? Non praesentem hanc vitam mortis meditationem facimus? Non nobilitatis divinitus inditae memores imperium in animi perturbationes arripimus? Non iram intumescentem ac saevientem cicuramus, non dejicientem superbiam, non moerorem inconsideratum, non stolidam voluptatem, non procacem et meretricium risum, non praecipitem aspectum, non inexplebilem audiendi, non

---

1) *Manibus vinctis*, forte, cohibentes manus a violentiis.

immodicam loquendi libidinem, non absurdas cogitationes, non denique quidquam eorum, quae a nobis contra nos perversus ille hostis accipit per fenestras (Jerem. 9, 21), ut Scriptura loquitur, hoc est, per sensuum organa mortem introducens? Imo contra omnino facimus, atque aliorum vitiis libertatem damus (non secus ac parta victoria reges militibus suis vacationes concedunt), hac dumtaxat lege et conditione, ut in nostras partes propendeant, atque adversus Deum majori cum audacia et impietate ruant; ac malam non bonae rei mercedem ipsis pendimus, pro impietate nimirum peccandi licentiam ipsis persolventes.

8. Atqui, o dialectice et loquax, nonnihil te interrogabo; tu vero responde ut inquiebat ille, qui ad Job per turbinem ac nubes oracula edebat (Job. 38, 3). Multaene apud Deum mansiones sunt (Joan. 14, 2), quemadmodum Scriptura docet, an una tantum? Multae, inquies, non una. Recte. Age vero, easne omnes impleri, an quasdam quidem, ceteras autem minime, ut inanes et frustra paratas? Utique omnes. Neque enim a Deo quidquam temere atque incassum factum est. An porro hoc quoque dicere queas, quid tandem sit haec mansio? Num requies et gloria, quae beatis

in coelo recondita est, an quid aliud? Nihil aliud, quam hoc, inquies. De hoc igitur quando inter nos constat, illud insuper expendamus: Estne aliquid, quod nobis mansiones has conciliet, ut mea est sententia, an omnino nihil? Est sane, inquis. Quidnam hoc? Hoc nimirum, quod diversa sint vivendi genera et instituta, ita tamen ut omnia sint fidei consentanea, quodque nos vias appellamus. Quid ergo? Hisne omnibus incedere necesse est, an quibusdam solum? Omnibus, siquidem unus atque idem hoc possit; sin minus, compluribus; aut certe quibusdam. Quod si ne hoc quidem concedatur, amplum tamen, ut mihi videtur, fuerit, vel unica duntaxat eximie incedere. Recte hoc existimas. Quid igitur? Cum audis viam unam esse eamque perangustam (Matth. 7, 13), quid iis verbis significari putas? Unam sane esse, si virtutem spectes; haec enim unica est, licet in multas partes secetur; verum angustam propter sudores, et quia non a multis teritur, siquidem multitudinem eorum cogites, qui contrario itinere per vitium gradiuntur. Ita mihi quoque videtur. Quid ergo causae est, vir optime, cum ita se res habeant, quod ceteras omnes vias repudiantes tamquam pauperiem, explosa nostra agendi ratione, ferimini ac

protrudimini omnes ad hanc unam, quae per disputationes ac speculationes, ut ipsi putatis, ut autem ego, nugas et praestigias, teritur? Objurget vos Paulus, post gratiarum enumerationem acriter his verbis invehens: *Num omnes apostoli? Num omnes prophetae* (1. Cor. 12, 29) et quae sequuntur.

9. Esto autem: sis ipse altus et sublimis, et sublimibus sublimior, atque ipsis etiam nubibus, si ita lubet, altior, rerum, quae oculorum aspectum superent, spectator et arcanorum verborum auditor (2. Cor. 12, 4), post Eliam in sublime raptus (4. Reg. 2, 11), post Moysen Dei conspectione (Exodi 33, 22) donatus, post Paulum in coelum evectus (2. Cor. 12, 4): quid tandem est, quod alios quoque unius diei momento sanctos fingis, et theologos creas, eruditionemque ipsis velut inspiras et multa imperite doctorum conciliabula facis? Cur aranearum telis infirmiores illaqueas, ex eoque tibi sapiens aliquid ac praeclarum facere videris? Cur adversus fidem crabrones excitas? Cur dialecticorum agmen nobis ex tempore producis, non aliter ac fabulae olim gigantes? Cur levissimos quosque viros ac virorum nomine indignos velut colluviem quamdam in unam voraginem cogens, ac verborum illecebris magis ac magis effe-

minans, novam ex ipsis impietatis officinam condidisti, astute interim eorum amentia ad utilitatem tuam abutens, atque ex ea messem faciens? Num his refragaris? Num alia pro nihilo reputas? Num linguam tuam omnino dominari necesse est, nec tu parturientem sermonem reprimere potes? Habes etiam alia multa et honorifica disputationis argumenta. Morbum hunc [1]) ad haec utiliter converte.

10. Pythagorae silentium et fabas illas orphicas insectare, recentemque horum verborum arrogantiam: *Ipse dixit* [2]). Platonis

---

1) *Morbum hunc* scil. pruritum loquendi atque contradicendi. Graviter hic in eunomianos s. doctor invehitur, quod nullo habito auditorum delectu, coram imperita plebe de altissimis religionis mysteriis disputarent: ostenditque quod in ipsis gentilium scriptis plura sint, de quibus disserere possent tum ut loquendi prurigini satisfaciant, tum ut sibi doctrinae et eloquentiae nomen comparent.

2) Pythagoras discipulis suis silentium per quinquennium et a fabis abstinentiam praescribebat. Cum autem interrogarentur de quodam ipsius doctrinae capite, nihil aliud respondebant, quam *ipse dixit*. — *Platonis ideas* i. e. inquit Billius, rerum quae fiunt exemplaria seu exemplares rerum formas. In hoc erravit Plato, quod ideas extra Deum statuebat ajebatque, Deum in haec quasi exempla respicientem res sensibiles condidisse. Praeterea docebat idem philosophus, nostrum scire nihil aliud esse, quam reminisci, quasi animus noster imbutus esset hujusmodi

ideas impete, animorumque nostrorum in alia atque alia corpora migrationes et circuitiones, et reminiscentias, ac denique non pulchros amores per pulchra corpora in animum subeuntes. Epicuri impium numinis contemptum, et atomos, atque alienam philosopho voluptatem exagita; Aristotelis praeparcam et angustis finibus circumscriptam providentiam, artificium, mortales de anima sermones atque humana dogmata confuta [1]). Stoicorum supercilium, cynicorum ingluviem et circumforaneam levitatem incesse. Vacuum item et plenum, ac quaecunque illi de diis, de sacrificiis, de simulacris, de daemonibus tum beneficis, tum maleficis, quaecunque de divinatione, de deorum et animarum evocatione, ac postremo de vi et facultate siderum vanissime disputant. Quod si tu quidem de his rebus, ut parvis ac saepe confutatis, disputationem instituere recusas, in tuis vero versari gestis, iisque gloriam ac nominis cele-

---

cognitione ac scientia, antequam in corpus immigraret. Vulgavit etiam animarum in alia ex aliis corporibus migrationem. Hoc autem dogma a Pythagora acceperat Plato.

1) Aristoteles docuit, coelestia sola a Deo gubernari, non autem humana, utpote quae sint parvi momenti. De animi etiam immortalitate non recte sentit.

britatem affectas: hic ego quoque latissimum tibi campum aperiam. De mundo vel mundis philosophare, de materia, de anima, de naturis ratione praeditis, tam bonis, quam malis, de resurrectione, de judicio, de praemiis ac poenis, de Christi cruciatibus. In his enim argumentis et scopum assequi utile est, et aberrare minime periculosum [1]). At vero cum

---

1) Haec verba minus bene sonare videntur. Hinc editores maurini hanc subjiciunt annotationem: „Conjicimus difficultatis nodum solvi posse, si vox διαμαρτάνειν accipiatur non pro *a scopo, a recta via aberrare* circa quaestiones, quae in controversiam vocantur, quod semper periculosum est, sed pro *spe frustrari* circa eos, quibuscum disputationes aggredimur, qui in erroribus obstinate perseverant, licet tum verbo, tum scriptis illorum error invicte confutetur. Sic enim recte dicitur *minime periculosum.* Leuvenklavius hunc contextum sic reddidit: „Nam ut in his utile est praestare quod cupias, sic exspectationi votoque animi non satis facere, periculo caret.“ Vel forte s. doctor permittens ut adversarii de his argumentis philosophentur propter minus erroris damnum, id intelligit de his argumentis non praecise quatenus sunt objectum fidei, sed quatenus de his argumentis *incolumi fide* multa disputari possunt et revera a theologis disputantur, quibus in disputationibus a vero inculpabiliter aberrare periculo saepe caret, qnamdiu dogma retineatur. Quod si etiam quis disputando bona fide aberraret vel ab ipso dogmate, damnum certe plerumque est minus ac si error circa ss. Trinitatis mysterium versetur.

Deo, in hac quidem vita parcius, aliquanto post autem fortasse plenius, commercium habebimus, in ipso Christo Jesu Domino nostro, cui sit gloria in secula. Amen.

## ORATIO THEOLOGICA II.

### De Theologia [1].

### ARGUMENTUM.

I. Qui purus est, de Deo disserat. Trinitatis invocatio. II. Allegoria ascensus Moysis ac seniorum in montem. Moyses in montem ascendit, Aaron in propinquo stat, seniores procul insistunt, vulgus purgatum infra subsistit, et fumo circumfusum montem cernit. Mala bestia a monte recedit, aut lapidibus obruitur. Haeretici belluis comparati. III. Gregorius, ut Moyses, Dei posteriora vidit. Quid per Dei posteriora intelligatur. Theologus, quamlibet perspicax et eruditus, Deum obscure cognoscit. IV. Dei natura, nec verbis explicari, nec mente comprehendi potest. Angeli uberius quam nos Deum cognoscunt. V. Deus cognosci non potest, sicuti est. Quod sit Deus, percipi potest; quid et qualis sit, non percipi potest. VI. Oculi et lex naturalis Deum esse docent. Deus per effectus cognoscitur. Nemo, ne quidem cogitatione, Deum comprehendit. VII. Deus corpus non est. Non circumscribitur. VIII. Quomodo Deus omnia penetrat et implet. Deus rerum creatarum more non movetur. IX. Deus incorporeus est. Quae de Deo, vel circa Deum dicuntur, ipsius essentiam non indicant. Exponendum quid sit Deus, ut ejus natura dignosca-

1) In edit. maurina 28. al. 34.

tur. X. Deus loco non continetur. Ubi Deus ante mundum conditum. XI. Cur Deus nequeat intellectu humano comprehendi. XII. Variae causae, cur Deus humano intellectu comprehendi nequeat. Prima causa. Secunda causa. Tertia causa. Exensibilibus rebus mens ad intellectuales evehitur. XIII. Allegorica Dei nomina. Languet humana mens, cum ad incorporea absque adminiculo sese efferre studet. Natura omnis ratione praedita Deum appetit. Idololatriae origo. XIV. Idolorum varietas. XV. Vitia ipsa pro diis habita. Foeda gentilium sacrificia. XVI. Deus, per ea quae facta sunt, cognosci potest. Deus cunctarum rerum artifex. XVII. Dei naturam et essentiam nemo novit. Modus quo patriarchae Deum cognoverunt. XVIII. Enos, Enoch, Noë, Abraham, Jacob. XIX. Elias, Manuë judex, Petrus apostolus. Isaias et Ezechiel. XX. Paulus. XXI. Dei natura abyssus. Quo perfectior de Deo disputatio, eo difficilior. Inscrutabilia Dei judicia. XXII. Humana natura incomprehensibilis. XXIII. XXIV. XXV. Admirabilis animantium varietas. XXVI. Varia plantarum genera, utilitas et pulchritudo. Aquarum utilitas. Terra sola Dei voluntate firma et immota. XXVII. Maris admirabilia. XXVIII. Aëris mirabilia. XXIX. Coelum et stellae. Unde et quomodo nata astronomia. Sol aliis sideribus praestantior. XXX. Solis praestantia; dierum noctiumque incrementum, anni tempora. XXXI. Tabernaculum Moysis figura mundi. De angelis dissertatio.

1. Quoniam sermone theologum repurgavimus, cum illud exposuimus, et qualem eum esse, et apud quos, et quando, et quatenus philosophari oporteat; nam et eum quam maxime purum esse necesse est, ut luce lucem

percipiat, et apud studiosos et diligentes auditores orationem habere, ne alioqui in sterilem terram sermo incidens (Matth. 13, 5) sterilis quoque ipse sit; et tum demum, cum ab externarum rerum jactatione tranquillum animum habuerimus, ne, quod singultientibus accidere solet, spiritus nobis interrumpatur; ac denique hactenus disserendum, quatenus vel ipsi concepimus, vel ab alienis concipimur. Quoniam, inquam, haec ita se habent, ac, ne super spinas seramus (Matth. 13, 7), nobis divina novalia novavimus (Jerem. 4, 3), terraeque superficiem complanavimus (Isai. 28, 25), Scriptura videlicet sacra, tum ipsi informati, tum alios informantes: age, jam ad theologiae sermones accedamus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, de quibus dicere instituimus, orationi nostrae praeficientes; ut et Pater propensa erga nos voluntate sit, et Filius adjutricem manum porrigat, et Spiritus vim suam afflet; vel, ut rectius loquar, unus ab una eademque Divinitate ortus fulgor nos illustret, conjunctim distinctus ac distinctim conjunctus [1]), id quod valde mirandum est.

---

1) *Conjunctim distinctus ac distinctim conjunctus*, scil. propter unitatem naturae in personarum trinitate,

2. Mihi porro in montem alacriter ascendenti (Exod. 19, 24), aut, ut verius dicam, ascendere proponenti simul ac trepidanti, illud propter spem, hoc propter imbecillitatem, ut nubem penetrem ac cum Deo commercium habeam; Deus enim ita jubet: si quis Aaron est, comitem se ascensus praebeat, atque in propinquo stet, etiamsi extra nubem sibi manendum sit, aequi bonique consulens. Si autem Nadab quispiam, aut Abiud, aut ex seniorum ordine, ascendat ille quidem, verum procul insistat pro purgationis suae merito ac dignitate. Si vero quispiam e vulgo atque hujusmodi sublimitate ac speculatione indignus, siquidem omnino impurus ac profanus sit, nullo modo accedat, neque enim ea res periculi expers est: si autem saltem ad horae tempus purgatus, infra subsistat, ac solam vocem et buccinam, hoc est, nuda pietatis verba audiat. Montem etiam fumo circumfusum ac corruscantem cernat, terrore simul eos et admiratione afficientem, quibus ascendere minime licet. Quod si quis mala et saeva bestia est, nec speculationis et theologiae ullo modo capax, ne velut in silvis versute ac malitiose latitet, ut impetu repente facto verbum aliquod vel dogma rapiat, atque obtrectationibus et calumniis saluberrimam

doctrinam discerpat, verum longius adhuc consistat atque a monte recedat: alioqui lapidibus opprimetur et obteretur, malusque male perdetur (Matth. 21, 41) (lapides enim sunt belluinis hominibus veri ac solidi sermones). Sive pardus sit, simul cum variis suis notis et maculis (Jerem. 13, 23) moriatur: sive leo rapiens et rugiens (1. Petr. 5, 8), ac quaerens quamnam animarum aut dictionum nostrarum devoret: sive porcus egregias et pellucidas veritatis margaritas conculcans (Matth. 7, 6); sive lupus arabicus (Habac. 1, 8) et peregrinus, aut etiam his, quoad sophismata et captiosas disputationes, acutior; sive vulpes (Cant. 2, 15), hoc est, versuta quaedam anima fideque ancipiti praedita, et pro temporum varietate alia atque alia, novamque subinde, ut id rebus suis conducere arbitratur, formam assumens, quam mortua et foetida corpora nutriunt, aut humiles vineae, cum ad altas aspirare nequeat; sive denique aliud quoddam crudivorum animal, legisque edicto rejectaneum, nec purum, ut iis et vesci et frui liceat. Vult enim nostra doctrina ab his abscedere, atque ita solidis et lapideis tabulis inscribi, idque utrinque, quod nimirum lex partim perspicua sit, partim abdita et abstrusa: illud quidem plerisque ad radices

montis subsistentibus, hoc autem paucis in montem ascendentibus.

3. Verum quid mihi accidit, o amici, ac iisdem sacris initiati, ejusdemque veritatis studiosi? Currebam hoc animo, quasi Deum percepturus, sicque in montem ascendi ac nubem penetravi, a materia rebusque materia constantibus reductus, atque in me ipsum, quoad ejus fieri poterat, collectus. Ut autem oculorum aciem adjeci, vix hoc etiam sum consecutus, ut Dei posteriora cernerem (Exod. 33, 23), idque petra, hoc est, Verbo nostrae salutis causa incarnato, contectus. Atque aliquantum prospiciens, non primam illam et purissimam naturam, sibique ipsi, id est, Trinitati, notam, quaeque primo velo obtecta manet [1]), et a cherubim obtegitur, conspicatus sum, verum postremam atque ad nos pertingentem. Ea autem est, ut quidem ipse cognitione asseqnor, majestas illa, vel, ut David appellat, magnificentia (Psal. 8, 2), quae in rebus ab eo creatis productisque et gubernatis elucet. Dei quippe posteriora sunt ea, quae post eum exstiterunt, et per quae ipse nobis innotescit, non secus videlicet ac solis in aquis umbrae atque simulacra infir-

1) Sicut scil. arca foederis in sancto sanctorum.

mis oculis solem repraesentant, quandoquidem eum obtueri non possumus, utpote qui lucis puritate sensum omnem superat. Ad hunc itaque modum theologi munus obibis, quamvis etiam Moyses sis, Deusque Pharaonis (Exod. 7, 1), quamvis ad tertium usque coelum, instar Pauli (2. Cor. 12, 2), abreptus fueris, atque arcana verba audiveris; quamvis etiam supra illos evectus, angelicam quandam aut archangelicam sedem et ordinem sis consecutus. Creatum enim omne, sive coeleste sive supercoeleste, licet sublimiori quam nos natura praeditum, Deoque vicinius, longiori tamen intervallo a Deo, ac plena illa et absoluta cognitione distat, quam quo compositam hanc nostram et abjectam atque humi vergentem massam superat.

4. Esto igitur hoc alterum orationis exordium. Deum intellectu percipere difficile est, eloqui autem impossibile, ut profanorum theologorum quidam docuit [1]), meo quidem judicio, non incallide, nempe ut ex eo, quod

---

1) Plato hic intelligitur, qui in Timaeo ita habet: Τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τὸ ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. Quod Tullius l. de universitate sic reddit: „Illum quidem quasi parentem hujus universitatis invenire difficile est, et cum jam inveneris, indicare in vulgus, nefas.“

intellectu difficilem affirmat, opinionem hominibus afferat, se eum cognitione percepisse; ex eo autem quod nullis verbis eum explicari posse ait, hoc agat, ne inscitia sua prodi atque convinci queat. Ego vero ita potius dicendum censeo, Dei naturam nullis quidem verbis explicari posse, animo autem atque intellectu comprehendi multo minus posse. Nam quod quis animo et ratione complexus fuerit, id quoque fortasse sermone declarare queat, si ne mediocriter quidem, at saltem obscure, modo auditorem nactus sit non omnino surdum tardique et stupidi ingenii. At rem tantam animo comprehendere, omnino impossibile est, non modo ignavis et languidis deorsumque vergentibus, sed magnis etiam et excelsis viris Deique amore praeditis, ac mortalibus peraeque omnibus, quibus ad veri cognitionem caligo haec et carnis crassities tenebras offundit. Atque haud scio an hoc quoque sublimioribus illis et intelligentibus naturis, negatum non sit; quae quia Deo propius junctae sunt, ac toto illo splendore collucent, cernere utique fortasse queant, si non prorsus, at certe plenius quam nos et solidius, atque aliae aliis, pro cujusque ordine, vel uberius, vel parcius [1]).

1) Haec explicanda sunt secundum annotationem

5. Sed de hac re hic sit finis. Quod autem ad nos attinet, non pax tantummodo Dei exsuperat omnem mentem et cognitionem (Philipp. 4, 7), nec quaecunque iis, qui justitiam coluerint, in divinis pollicitationibus recondita sunt, quae nec oculis cerni, nec auribus excipi, nec animo cogitari ac perspici (1. Cor. 11, 9), nisi tenuissime, possunt, nec exacta et absoluta rerum creatarum cognitio (nam harum quoque te solas umbras tenere haud dubites, cum Scripturam ad hunc modum loquentem audieris: *Videbo coelos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas* (Psal. 8, 4), eamque, quae ipsis inest, firmam et stabilem rationem, perinde scilicet atque in hac vita ea minime videns, sed aliquando perspecturus); sed multo magis natura illa his sublimior, et ex qua haec originem traxerunt, captum omnem et comprehensionem superat. Nec vero haec verba ita accipi velim, quasi percipi non posse dicam, quod sit Deus, sed quid et quale sit. Neque enim inanis est praedicatio nostra, nec vana fides nostra (1. Cor. 15, 14); nec id est, quod astruimus (ne rursus id, quod probe candideque dixi-

---

supra Chrysostomi homil. 3. de incomprehensibili Dei natura n. 3. subjectam.

mus, in impietatis et calumniae argumentum trahas, ac nobis, ut ignorantiam confitentibus, arroganter insultes). Plurimum namque interest, certo tibi persuadeas aliquid esse, an, quid tandem illud sit, compertum habeas.

6. Etenim quod Deus sit, ac princeps quaedam causa, quae res omnes procrearit atque conservet, tum oculi ipsi, tum lex naturalis docent; illi, dum rebus in aspectum cadentibus aciem affigunt, easque et pulchre fixas et stabiles esse, et progredi, atque immote, ut ita dicam, moveri volvique perspiciunt; haec autem, dum per res oculis subjectas ac recto ordine collocatas auctorem earum certo quidem ratiocinando assequitur [1]). Quonam

---

1) Graece: ὁ δὲ (φυσικὸς νόμος), διὰ τῶν ὁρωμένων καὶ τεταγμένων τὸν ἀρχηγὸν τούτων συλλογιζόμενος. Quam clare hic s. Gregorius dogma profitetur a concilio vaticano statutum sess. 3. de revel. can. 1: „Si quis dixerit, Deum unum et verum, creatorem et Dominum nostrum per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse, anathema sit.“ Cf. annot. ad opusc. 15, 48 ss. Cum exemplo autem, quo suum confirmat assertum, merito confertur illud praeclarum s. Athanasii, quod proponit orat. c. gentes n. 34, 35., ubi inter alia scribit: „Res creatae quasi literis sua dispositione et ordine dominum ac creatorem suum indicant et proclamant . . . cum enim Deus secundum propriam naturam invisibilis sit et incomprehensibilis, ideo

enim modo universa haec rerum moles vel producta unquam fuisset, vel consisteret, nisi Deus omnia in rerum naturam protulisset, atque conservaret? Quemadmodum enim quispiam citharam pulcherrime confectam et elaboratam conspiciens, ejusque concinnitatem et constitutionem, aut etiam ipsius citharae cantum audiens, nihil aliud quam ipsum citharae conditorem et citharoedum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiamsi de facie ignotum: eodem quoque modo nobis is, qui res effecit, effectasque movet atque conservat, manifestus est, etiamsi mente minime comprehendatur. Ac nimis profecto hebes et stolidus est, quisquis non huc usque sponte sua progreditur, naturaliumque demonstrationum vestigiis insistit: atque adeo hoc sibi persuadet, ne id quidem Deum esse, quod vel imagine quadam animi concepimus, vel informavimus, vel orationis penicillo ut-

---

creationem verbo suo ita disposuit, ut saltem ex operibus ab hominibus cognosci possit; saepe enim artifex, etiamsi ipse non videatur, ex operibus cognoscitur. Quemadmodum etiam de statuario Phidia narrant, ejus nempe opera ex mutua partium proportione et dispositione Phidiam licet absentem spectantibus exhibuisse: ita oportet ex mundi dispositione intelligere hujus creatorem et effectorem Deum.«

cumque descripsimus. Quod si quis unquam cogitatione Deum quoquo modo comprehendit, quonam, obsecro, argumento id probabit? Ecquis enim eo sapientiae pervenit? Ecquis unquam tantam gratiam divinitus consecutus est? Ecquis *os* mentis ita *aperuit*, ac *Spiritum attraxit* (Psal. 118, 131), *ut Spiritus omnia perscrutantis atque etiam Dei profunda cognoscentis* (1. Cor. 2, 10) ope atque adjumento, Dei naturam comprehenderit, nec jam ulterius progredi necesse habeat, utpote qui extremum illud appetendum jam habeat, ad quod omnis sublimium virorum et vita et cogitatio contendit?

7. Quid enim tandem Deum esse censebis, si argumentis a ratione petitis fidem omnino habes? Aut quo tandem te subvehet haec disputatio, si accuratius examinetur? Te, inquam, appello, qui philosophiae ac theologiae principatum tibi vindicas, atque in immensum gloriaris. An corpus eum esse dices? Quonam ergo modo immensus, infinitus, figurae expers est, ac denique ejusmodi, ut nec tangi, nec oculis cerni queat? An haec quoque in corpora cadunt? O licentiam! Non enim haec corporum natura est. An corpus quidem esse statues, immensum vero atque infinitum ceteraque hujus generis esse negabis? O cras-

sitiem! ut nulla re Deus nobis praestet. Quid enim afferri potest, cur colatur, atque adoretur, si circumscriptus est? Aut quid causae esse dicemus, quin ex elementis conflatus sit, atque in eadem denuo redigatur, aut etiam prorsus intereat? Compositio quippe pugnae initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis: solutio porro nullo modo in Deum ac primam illam naturam cadit. Quocirca nullum dissidium admittendum est, ne solutio consequatur: nec pugna, ne dissidium oriatur: nec compositio, ne pugna exsistat. Ac proinde ne corpus quidem est, ne alioqui compositum quidem eum necesse sit. Sic ab extremis ad prima recurrens oratio insistit.

8. Jamvero quomodo illud tueri poterimus, quod ait Scriptura, Deum omnia pervadere atque implere, juxta illud: *Nonne coelum et terram ego impleo, dicit Dominus* (Jer. 23, 24); et, *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (Sap. 1, 7), si Deus partim circumscribat, partim circumscribatur? Aut enim per vacuam universitatem grassabitur, et res omnes nobis peribunt [1]), ut sic Deus contu-

---

1) *Res omnes nobis peribunt*, Deo scil. omnia implente, et hinc illas excludente, si corpus est et secundum Scripturam omnia implet.

melia afficiatur, nimirum et qui corpus sit, et iis, quae procreavit, careat: aut corpus in corporibus erit, id quod fieri non potest: aut implicabitur et opponetur, quemadmodum ea, quae liquiditate praedita sunt, inter se miscentur; atque alia secabit, et ab iis rursus secabitur, quod ipsis etiam Epicuri atomis absurdius et anilius est; sicque nobis collabetur, nec corpus, nec solidi quidquam habebit haec disputatio, qua corpus Deo tribuere conamur. Quod si eum corpus materiae expers esse contenderint, siquidem quintum illud, ut nonnulli censuerunt et in orbem volubile [1]): sit sane corpus quoddam quintum, et a materia semotum, atque etiam, si ipsis ita collibuerit, incorporeum; quandoquidem ita sermone comparati sunt, ut pro arbitrio in omnem partem sese versent, ac quidvis effingant; nihil enim hac de re in praesentia cum illis altercabor. Ceterum quo tandem in genere erit earum rerum, quae motu cientur et agitantur, ut interim taceam, quam gravis sit contumeliae, asserere Creatorem eodem, quo res ab eo creatas, motu incitari, atque eum,

1) *Et in orbem volutile* scil. coelum. Aristoteles praeter quatuor rerum principia seu elementa, quae sunt aqua, terra, aër et ignis, quintum nempe coelum admittebat,

cujus vi ac numine res conditae volvuntur, si tamen hoc etiam daturi sunt, eodem modo cum iis volvi ac circumferri? Quaero etiam, quidnam sit quod universum hoc moveat? Quidnam vero quod vicissim illud moveat, ac rursum a quo illud moveatur? Eodemque modo in infinitum progrediar. Qui etiam fieri potest, ut omnino non sit in loco, siquidem fertur, ac motu incitatur? Jam si aliud quoddam corpus, praeter quintum illud, Deum esse statuant, siquidem angelicum, unde probabunt angelos corpore constare, et quo tandem corpore? Quantum autem, si res ita se habeat, Deus angelum, quo ministro utitur, antecellet? Si corpus quoddam his sublimius esse dixerint, rursus corporum examen rationis expers inducetur, ac nugarum gurges adeo profundus, ut nusquam pes figi possit.

9. Atque hinc constat Deum corpus non esse. Neque enim adhuc quisquam eorum, qui divinitus afflati sunt, hoc vel dixit, vel ab aliis dictum comprobavit, nec nostri ovilis est haec doctrina. Superest igitur, ut incorporeum esse Deum existimemus Verum, utcumque incorporeum dicamus, nondum tamen hoc naturam illius essentiamque complectitur et declarat; quemadmodum nec ingenitum, nec τὸ ἄναρχον id est, principii expers, nec im-

mutabile, nec incorruptibile, ceteraque omnia, quae de Deo, vel circa Deum praedicantur. Quid enim prodest ad indicandam ipsius naturam et subsistentiam, qua exsistit, si dicas eum initium non habere, nec a se unquam desciscere, nec ullis terminis includi? Verum totam ejus essentiam edisserendam et inquirendam huic relinquimus, qui vere Dei notitiam habet, atque in contemplando perfectior est. Ut enim non satis est corpus dicere, aut procreatum esse, ad hoc vel illud, cui haec adjacent, exprimendum et indicandum, sed, quid ipsa quoque res subjecta sit, dicendum est, si modo volumus, id quod cogitamus, plene atque abunde repraesentare (potest enim vel homo, vel bos, vel equus esse, hoc quod corporeum ac procreatum et corruptibile esse pronunciamus); ad eundem modum qui Dei naturam curiosius inquirendam duxerit, non hic conquiescet, ut dicat, quid non sit Deus, sed hoc quoque ipsi adjiciendum erit, ut, quid sit, exponat; idque eo magis, quod minus difficile est unum quidpiam animo complecti, quam omnia sigillatim inficiando removere, ut rejectis iis, quae non est, et constituto eo, quod sit, comprehendatur id quod cogitamus. Qui vero ita, quid res aliqua non sit, pronunciat, ut interim, quid sit, taceat, non absi-

milis est ei qui rogatus: Bis quinque quot sint, respondeat quidem ea nec duo esse, nec tria, nec quatuor, nec quinque, nec viginti, nec triginta, nec, ut brevi complectar, ullum numerum citra vel ultra denarium: ceterum quod decem sint, non dicat, nec mentem ejus, a quo interrogatur, ad id quod quaesitum est, affigat. Multo enim facilius et compendiosius est, ex eo, quod, quid sit, dixeris, quidquid non sit declarare, quam ex eorum, quae non est, ablatione atque inficiatione, quid sit, demonstrare [1]); quemadmodum cuivis perspicuum esse arbitror.

10. Quoniam igitur Deum corpore vacare nobis est exploratum, aliquanto ulterius in inquirendo progrediamur. Nusquamne ille

---

1) Haec vera sunt, si tantum quaedam de Deo negentur. Sed si plura de Deo affirmentur atque opportunis negationibus imperfectiones removeantur, „privationes in Deo sunt efficaces positiones affirmantium, quae etsi ejus quod non est notionem habere videntur, in Deo tamen, qui substantiam omnem et essentiam superat ac nihil est eorum quae sunt, excellentiam significant.“ (Maximus in Dionysii de divinis nomin. c. 4). Hac autem γλυκυτάτῃ συναφείᾳ suavissima connexione, ut loquitur Damascenus (de fide orthodoxa l. 1, 12.), mutuo corriguntur, expoliuntur perficiunturque nostrae de Deo notiones καθ' ὑπεροχήν per excessum, quibus Deus exhibetur ὑπερούσιος, ὑπεραγαθὸς etc. sponte sua oboriuntur.

est, an alicubi? Si enim nusquam, quaeret fortasse aliquis ex iis, qui inquirendi subtilitate impensius gaudent, quomodo esse quoque possit. Nam si id quod non est, nusquam est: id quoque quod nusquam est, ne quidem fortasse est. Quod si alicubi esse dixeris, procul dubio, quandoquidem est, vel in universo est, vel supra universum [1]). Si in universo, vel in quadam ejus parte est, vel ubique. Si quadam in parte, ergo a minori hac parte circumscribetur. Sin ubique, ab ampliore alioque multo majore, id est, a continente continebitur. Haec si dederimus, futurum est, ut universum universi complexu teneatur, nec ullus a circumscriptione liber exstet locus. In has absurditates incidant necesse est, qui eum in universo esse dixerint. Ac praeterea, ubinam erat, antequam universa haec rerum machina exstitisset? Nam hoc quoque non levem difficultatem affert. Quod si eum supra universum esse dixerint, quid? Nihilne erat, quod eum ab universo dirimeret? Ubinam porro erat, quod supra universum erat? Aut quomodo internosci poterat id, quod subli-

---

1) Tota haec disputatio supponit, negari Dei immensitatem, ac eum dici *alicubi* tamquam in loco, localiter ac proinde loco inclusum.

mius erat, ab eo, quod inferius, cum nullus limes esset, qui haec secerneret ac distingueret? Annon omnino necesse est medium quoddam esse, quo, velut termino, dirimatur universum ab eo, quod supra universum est? Quid autem aliud hoc fuerit, quam locus, quem jam ante exclusimus? Nondum enim commemoro, fieri omnino non posse, quin circumscriptus sit Deus, si animo et cogitatione comprehendi potest. Unum quippe circumscriptionis genus comprehensio quoque ipsa est.

11. Quorsum autem haec disserui, curiosiusque fortasse, quam vulgi aures ferant, ac pro ea, quae hac tempestate viget, disputandi ratione, quae simplici atque ingenua rerum divinarum pertractatione contempta et pro nihilo habita, subdolum atque involutum dicendi genus invexit? ut nimirum ex fructibus arbor (Matth. 7, 20), hoc est, ater ille ac tenebrosus spiritus, hujusmodi dogmatum afflator ex hac disputationis caligine agnoscatur. Non enim hoc eo a me factum est, ut ipse quoque nova et ab hominum sensibus aliena proferre, atque eximia quadam et excellenti sapientia ornatus esse (Dan. 5, 11.) videar, nodos nectens atque astricta dissolvens; quod quidem magnum Danielis mira-

culum fuit; verum ut illud ostendam, quod orationis principio instituebam, nimirum Deum extra humani ingenii captum esse, nec totum, quantus est, cogitari atque animo informari posse; idque non ob invidiam; longe enim abest a divina natura invidiae livor, utpote quae omni perturbatione vacat, solaque bona et domina est, ac praesertim erga id, quod ex omnibus rebus a se conditis maximo in pretio habet. Quid enim apud Verbum priore loco ac numero est, quam quae rationem ac sermonis facultatem acceperunt? Quandoquidem hoc quoque ipsum, quod procreata sunt, summae cujusdam divinae bonitatis argumentum est: nec ut inde ipsius, qui plenus est, honori gloriaeque quidquam accederet, ut videlicet ex eo, quod ad ejus cognitionem mortales pervenire nequeunt, major ad ipsum honor ac veneratio redeat. Sophisticum enim plane atque alienum est, non dicam a Deo, sed ab homine, mediocri saltem probitate candoreque praedito, atque ingenuae cujusdam honestatis sibi conscio, prohibendo alios quominus accedant, primatum quaedam sibi arrogare.

12. Verum aliasne etiam quasdam ob causas, viderint ii, qui Deo propinquiores conjunctioresque sunt, atque impervestigabilium

ipsius judiciorum (Rom. 11, 58) inspectores et contemplatores, si qui tamen sunt ad eam virtutis magnitudinem evecti, atque in abyssi vestigiis deambulantes (Job 38, 16), ut proverbio dici solet. Quantum tamen nos, qui exiguis modulis ea, quae ad contemplandum difficilia sunt, metimur, conjectura assequi possumus, tres hujus rei causae afferri queant. Prima forsan, ne, ob adipiscendi facilitatem, facilis quoque rei quaesitae jactura sit. Fit enim fere ut quod non sine labore atque industria partum est, arctius quoque teneatur: quod autem nullo negotio comparatum est, citissime vilescat et abjiciatur, utpote quod recuperari possit; atque ita in beneficium cedit non obvia illa beneficentia, apud eos saltem, qui prudentes sunt. Altera, ne idem nobis, quod lucifero illi prolapso (Isai. 14, 12), accidat; hoc est, ne toto illo fulgore perfusi cervicem adversus Dominum omnipotentem attollamus, atque ob elationem corruamus, casu omnium miserrimo et calamitosissimo. Postrema, ut pro industriae suae illustrisque vitae praemio uberius aliquid habeant, qui hic sese a vitiorum labe perpurgarint, ac rem adamatam et expetitam patientibus animis expectarint. Idcirco media inter nos ac Deum corporea haec caligo iuterjecta est, non secus

ac nubes illa olim inter aegyptios et hebraeos (Exod. 14, 20). Ac fortasse huc spectat illud Scripturae: Posuit tenebras latibulum sibi (Psal. 17, 12), hoc est, crassitiem nostram, qua fit, ut pauci omnino, iique parum admodum transpiciant. Sed de hac re accuratius philosophentur altissimeque consideratione provehantur, quibus id studio et curae fuerit. Nobisutique, qui terrae vinculis astricti tenemur (Thren. 3, 34), ut Jeremiae verbis utar, crassaque hac carne obtegimur, hoc perspicuum est, quod quemadmodum nulla ratione fieri potest, ut quispiam, quamlibet gressum urgeat, umbram suam praetereat (quantum enim eam assequeris, tantum etiam illa semper antevertit), aut oculus rebus in aspectum cadentibus citra intermediam lucem et aërem conjungatur, aut pisces extra aquas natent; ita etiam impossibile est iis, qui corporibus inclusi sunt, sine corporearum ac sensibilium rerum adminiculo rebus iis, quae animo ac ratione intelliguntur, omnino conjungi. Semper enim obiter sensibile aliquid rerum nostrarum incidit, quantumvis maxime nostra mens ab iis rebus, quae in aspectum cadunt, abstracta, atque in se ipsam collecta, res cognatas et oculorum aciem fugientes assequi

ac percipere contenderit. Quod quidem ita tibi clarum ac dilucidum erit.

13. Nonne spiritus, et ignis, et lux, et caritas, et sapientia, et justitia, et mens, et verbum, atque similia, principis illius naturae sunt nomina? Quid igitur? An spiritum animo concipies, qui motus ac diffusionis expers sit? An ignem, qui materia careat, sursumque non feratur, nec proprio colore ac figura praeditus sit? An lucem nullo aëre permixtam, atque a suo quasi parente eamque effundente segregatam? Jam mentem, quam tandem intelliges? Annon eam, quae in alio est, cujusque motus cogitationes sunt, vel tacitae, vel sese proferentes? Quod item verbum? Annon illud, quod vel in nobis quiescit, vel diffunditur? Vereor enim dicere, solvitur. Quam porro sapientiam, praeter eam, quae habitus est, atque vel in divinis, vel in humanis rebus contemplandis versatur? Quam porro justitiam et caritatem? Nonne praeclaras et cum laude conjunctas affectiones (quarum altera injustiae, altera odio adversetur), nunc sese intendentes, nunc remittentes, nunc accedentes; nunc decedentes, ac certa omnino qualitate nos afficientes, et immutantes, haud secus ac colores corpora? An potius nobis faciendum est, ut ab his abscedamus, ac Nu-

men ipsum sejunctim, quoad ejus fieri potest, perspiciamus, particularem quandam speciem ex simulacris colligentes? Quaenam igitur est haec molitio, quae et ex his velut confletur, et tamen haec non sit? Aut quomodo id, quod unum est, ac suapte natura compositionis expers, nec ullis rerum simulacris adumbrari potest, haec omnia et horum unumquodque perfecte fuerit? Ita mens nostra languet ac fatiscit, dum e corporeis et sensibilibus rebus excedere', atque incorporeis citra ullius rei interventum jungi studet, quamdiu cum sua infirmitate ea, quae ipsius vires superant, speculatur. Etenim Deum ac principem illam causam natura quidem omnis rationis particeps appetit; ut autem eam assequatur, ob eas, quas dixi, causas, vires deficiunt. Languens autem desiderio ac male omnino affecta, aegerrimeque hoc damnum ferens, secundam, ut dici solet, navigationem init [1]), ut scilicet, vel ad res eas, quae sub oculorum sensum cadunt oculos flectat, ac quampiam

---

1) *Secundam navigationem init.* Id proverbio dicitur, cum quis ad summa pertingere non valens proxima consectatur. Quemadmodum, inquit Billius, qui mari iter faciunt, cum eum, quem maxime optant, nequeunt, proximum illi tamen, quamquam non adeo commodum, cursum tenere conantur.

earum pro Numine colat, pessimo utique consilio labens (quid enim in omnibus rebus, quae oculis cernuntur, eo, a quo cernuntur, excelsius et divinius est, ut illud adoretur, hoc vero adoret?) vel per aspectabilium rerum pulchritudinem et ordinem Dei cognitionem assequatur, atque ad ea percipienda, quae oculorum obtutum fugiunt, ducibus oculis utatur, non autem per earum rerum, quae oculis subjectae sunt, magnificentiam Dei jacturam faciat.

14. Hinc alii solem, alii lunam, alii siderum multitudinem, alii coelum quoque ipsum una cum illis, quibus pro motus qualitate vel quantitate mundi gubernationem administrationemque tribuerunt; alii rursus propter necessarium usum, terram, aquam, aërem, ignem, quod his sublatis humanae vitae incolumitas constare non possit; alii denique quidquid ex rebus aspectabilibus temere ipsis occurrit, coluerunt, pulcherrima quaeque eorum, quae cernebant, pro diis sibi constituentes. Nec defuerunt, qui statuas ac figmenta divinis honoribus affecerint, primum quidem propinquorum et necessariorum, ii videlicet, qui vehementiori luctu afflictabantur, corporeisque rebus addictiores erant, atque homines vita functos monumentorum ho-

nore prosequebantur; post autem alienorum quoque, nempe ii, qui multis post eos seculis exstiterunt, ignoratione videlicet primae illius naturae, ac serie per manus ipsis a majoribus traditi cultus, quasi justi et necessarii. Consuetudo enim, temporis longinquitate confirmata, pro lege habita est. Nonnullos etiam fuisse arbitror, qui summam alicujus potestatem omni observantia colentes, et corporis robur laudibus efferentes, ac formae venustatem admirantes, eum tandem, quem honorabant, in deorum numerum ascripserint, ad hujusmodi imposturae subsidium et patrocinium, fabulas quasdam assumentes.

15. Jam vitiosissimi quique vitia ipsa foedosque affectus deos esse censuerunt, aut certe sub deorum nomine coluerunt, iram nimirum, caedem, libidinem, temulentiam, et cetera ejus generis, non aequam, nec honestam hanc scelerum suorum excusationem nacti. Atque eos partim in terra reliquerunt, partim infra terram occultarunt, hoc unum satis consulte, partim in coelum evexerunt: o ridiculam hereditatis partitionem! Ac deinde pro erroris libertate et licentia, figmento cuique nomen aliquod vel deorum, vel daemonum indiderunt, statuasque insuper erexerunt, easque adeo magnificas et excellentes, ut pretio

ipso vulgi animos inescarent. Ad haec per cruores et carnium nidores, quidam etiam per actiones imprimis foedas, hoc est, furores ac caedes, hujusmodi numina rite coli existimarunt. Tales quippe talibus diis honores haberi conveniebat. Eo etiam amentiae quidam proruperunt, ut colendis a vibus, et quadrupedibus, et reptilibus, atque horum turpissimis quibusque maximoque ridiculis, se ipsos contumelia afficerent, iisque Dei glóriam attribuerunt: ut non sit facile constituere, utri magis contemnendi sint iine qui adorabant, an qui adorabantur. Fortasse vero multo majori contemptu atque ignominia digni erant, qui res hujusmodi adorabant; quoniam, cum natura ratione praedita ornati essent Deique gratiam accepissent, deterius meliori praetulerunt. Atque haec fuit pravi illius calliditas et impostura, re bona ad malum abutentis; qualia sunt pleraque illius versuta facinora. Nam cum eorum cupiditatem ad Dei conquisitionem oberrantem accepisset, ut principatum ad se transferret, ac desiderium eorum eluderet, quasi caecum viae cujusdam cupiditate flagrantem manuducens, alios alio praecipites egit, atque in unum quoddam mortis exitiique barathrum dispersit.

16. Atque haec quidem illi. Nos autem

Dei desiderio flagrantes, atque animis ita comparatos, ut universitatem hanc duce atque gubernatore carere nullo modo admittere queamus, ratio excipiens, ac deinde in res oculis subjectas intuens, atque adeo ea, quae ab initio condita sunt, considerans ne hic quidem gradum fixit. Neque enim rationis erat, iis, quae, quantum ad sensum, pari nobiscum conditione sunt, principatum dare. Quin potius eorum ope atque adjumento nos ad id, quod his superius est, cujusque beneficio haec sunt, ducit. Quid enim tandem illud est, quod coelestia et terrestria, quaeque, vel per aërem, vel per aquam feruntur, vel potius ea, quae his priora sunt, coelum, terram, aërem, aquam certo ordine collocavit? Quis haec miscuit ac sejunxit? Quae mutua horum societas naturaeque cognatio et conspiratio? Hoc enim dictum, licet hominis a religione nostra alieni, mihi magnopere probatur: *Quis motum his attulit, ac perpetuo minimeque impedito cursu ea moderatur* (Haec ascribuntur Platoni)? Annon eorum artifex, et qui rebus omnibus rationem eam indidit, qua universum fertur et gubernatur? Quis porro horum artifex? Annon is, qui haec procreavit, atque in rerum naturam produxit? Neque enim procul dubio casui fortunaeque haec vis et facultas ascri-

benda est. Ut enim hoc demus, casu omnia extitisse, cui tandem eorum constitutio ac dispositio tribuenda erit? Atque ut hoc quoque ipsum, si ita lubet, casui concedamus, cujusnam, quaeso, fuerit, haec, juxta eas rationes, quibus primum creata sunt, tueri atque conservare? Alteriusne cujuspiam, an casus? Alterius profecto, non casus. Hoc autem quid tandem aliud esse queat, quam Deus? Sic ratio, quae ex Deo est, et cunctis insita, et prima in pectoribus nostris condita lex, cunctisque mortalibus innexa [1]), nos ab iis rebus, quae oculis cernuntur, ad Deum subvexit. Ac proinde hoc pacto rursus exordiamur.

17. Quid tandem Deus natura sua et essentia sit, nec hominum quisquam unquam invenit, nec invenire potest. An vero aliquando sit inventurus, quaerat hoc qui volet, ac perscrutetur. Mea quidem sententia, tum demum hoc inveniet, cum deiforme hoc atque divinum, id est, mens nostra et ratio cum natura cognata conjuncta fuerit, et imago ad exemplar illud suum, cujus nunc desiderio tangitur, ascenderit [2]). Atque illud mihi esse

1) Lex scil. causalitatis et rationis sufficientis seu lex rationi insita, vi cujus ex effectibus ad causam ratiocinando progreditur. Cf. supra n. 6.

2) Nimirum in altera vita, cum videbimus eum

videtur, quod primarium philosophiae caput est, nempe nos aliquando tantum cognituros, quantum cogniti sumus (1. Cor. 13, 12). At in hac mortali vita quidquid ad nos usque pertingit, aliud nihil est, quam exiguus quidam rivulus, ac velut parvus magnae lucis radius. Quamobrem si quis Deum cognovit, aut, Scriptura teste, cognovisse dicitur, eatenus cognovisse censendus est, quatenus uberioris splendoris particeps sit, quam qui minus luminis divinitus accepit. Ita exsuperantia haec perfecta cognitio existimata est, non ad rei ipsius veritatem, sed ad aliorum modulum et facultatem perpensa.

18. Quocirca Enos quidem spem habuit fore ut Dominum invocaret (Gen. 4, 24): ubi vides spem duntaxat in eo laudari, eamque non cognitionis, sed invocationis. Enoch autem, quamvis translatus fuerit (Id. 5, 24), nondum tamen constat, an Dei naturam comprehenderit, aut comprehensurus sit [1]). Jam

---

sicuti est, revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformati a claritate in claritatem (2. Cor. 3, 18).

1) *Aut comprehensurus sit.* Si verbum comprehendo περιλαμβάνειν proprie accipitur, dubium nullum est etiam secundum s. Gregorii doctrinam satis clare supra expositam, Enoch Deum nec jam compre-

Noë, cui orbis universi ab aquarum periculo conservandi cura (Id. 6, 8) credita est, vel potius orbis semina commissa, exiguo ligno diluvium fugientia, hinc solum laudem consecutus est, quod Deo gratus et acceptus fuisset. Magnus porro ille patriarcha Abraham, ex fide quidem justificatus est (Gen. 15, 6, et Rom. 4, 3), ac novam et inauditam victimam, magnaeque illius figuram gerentem, obtulit (Gen. 18, 2, et seqq.): at Deum non ut Deum conspexit, sed ut hominem aluit; ac proinde laudatus est, quod, quantum percepit, tantum quoque veneratus est. Nam quid de Jacob dicam, qui licet sublimem quandam scalam et ascendentes angelos in somnis conspicatus sit (Gen. 28, 12), ac columnam non sine mysterio quodam unxerit (fortasse ut lapidem salutis nostrae causa unctum significaret), atque in ejus, quem conspexerat, ho-

---

hendisse vel esse unquam comprehensurum. Si vero verbum hoc significat hic idem ac *videre*, dubium nullum est Enoch visurum esse Deum, quamvis modo eum non videat; quare si dubitat, utrum Enoch visurus sit Deum, forte hoc dubium intelligi debet tantum de tempore futuro, usque in mundi finem, quo Enoch secundum vetustam traditionem martyr obibit, proinde de hoc statu intermedio inter statum viae et statum patriae, in quo secundum theologorum sententiam Enoch modo versatur.

norem, loco cuidam domus Dei cognomentum imposuerit, ac cum Deo quasi cum homine luctam inierit, quaecunque tandem illa Dei cum homine lucta esse queat: his enim verbis fortasse nihil aliud indicatur, quam humanae virtutis cum divina comparatio; luctaeque signa, quae creatam naturam victam esse ostenderent, in corpore tulerit ac denique pro pietatis praemio nominis commutationem acceperit, pro Jacob nimirum, magno illo et eximio Israëlis nomine nuncupatus; hoc tamen nec ipse, nec quisquam eo sublimior, ad hunc usque diem in omnibus duodecim tribubus, quarum pater exstitit, gloriari magnificeque praedicare potuit, se totam Dei naturam animo percepisse.

19. Nec vero Eliae vel spiritus vehemens, vel ignis, vel terrae concussio, ut historiae sacrae monumentis proditum est, sed aura quaedam tenuis (3. Reg. 19, 11, et seqq.) Dei praesentiam, non autem naturam ipsam, adumbravit. Ipsum Eliam dico, quem igneus quoque currus (4. Reg. 2, 11) in coelum evexit, significans, ut opinor, singularem quandam hominis virtutem atque humanum fastigium excedentem. Quid? Non te judex ille Manuë, ac Petrus apostolus, admiratione afficiunt? Quorum alter ne conspectum quidem

Dei, per imaginem ipsi observantis, ferre poterat, ac proinde dicebat: Periimus, uxor, Deum vidimus (Judic. 13, 22), tamquam videlicet homines ne divini quidem in imagine conspectus, nedum naturae ipsius, capaces sint: alter conspicuum etiam Christum in naviculam admittere recusabat (Luc. 5, 8) atque ablegabat. Quod eo quoque mirabilius videri debet, quod idem ad Christi agnitionem animi ardore alios anteibat, eoque nomine beatus praedicatus est (Matth. 16, 17), resque maximas in fidem accepit. Quid Isaiam, et Ezechielem rerum maximarum spectatorem, reliquosque prophetas commemorem? Quorum alter Dominum sabaoth (Isai. 6, 1) in gloriae throno sedentem vidit, eumque a seraphim senis alis praeditis in orbem cinctum ac laudatum et tectum, seque ipsum carbone perpurgatum atque ad obeundum prophetiae munus adornatum. Alter vehiculum quoque Dei (Ezech. 1, 4, et seqq.), hoc est, cherubinos describit, thronumque ipsis excelsiorem, eoque sublimius firmamentum, atque insuper eum, qui in firmamento sese utcumque conspicandum praebebat, vocesque etiam quasdam, et impetus, atque actiones; idque, sive diuturnum quoddam hoc spectrum, solis sanctissimis viris spectabile, sive minime fallax

noctis visio sive praevia quaedam mentis impressio, futura tamquam praesentia exhibens, sive arcanum quoddam aliud prophetiae genus, dicere nequeo; novit hoc prophetarum Deus, et qui hujusmodi afflatibus agitantur. Ceterum neque hi, de quibus loquor, neque quisquam alius ejusdem ordinis, in substantia (Jerem. 23, 18) et essentia Domini, ut Scriptura loquitur [1]), stetit, nec Dei naturam, aut vidit, aut aliis prodidit et patefecit.

20. Quod si Paulo ea, quae tertium coelum (2. Cor. 12, 2), atque ad illud usque progressio, vel ascensio, vel assumptio, exhibuit, mortalibus evulgare licuisset, amplius quiddam fortasse de Deo cognovissemus, si modo arcana haec causa erat, cur in coelum raperetur. Quoniam autem haec ei in vulgus efferre

---

1) Ἐν ὑποστήματι. Vox est Jeremiae 23, 18., cui subjungit Gregorius καὶ οὐσίᾳ explicationis causa, quasi vox illa *essentiam* sive *naturam Dei* significet, quod a vero sensu longius abest. Vox enim hebraea Jeremiae *consilium* sonat. Hinc Vulgata recte reddit: *Quis enim adfuit consilio Domini?* Septuaginta et Theodotion interpretantur *substantiam* seu *subsistentiam*; Aquila *secretum* et Symmachus *sermonem*. Verum voces ὑπόστημα et ὑπόστασις recte verti possunt *statio* et *consessus* sicque propius accederent ad genuinum hebraicae vocis sensum. Edit. maurini.

nefas erat, faciamus nos quoque, ut ea silentio commendemus. Atque hoc duntaxat Paulum dicentem audiamus: *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (1. Cor. 13, 9). Haec atque ejusmodi fateri non dubitat ille scientia nequaquam imperitus, ille experimentum se daturum minitans loquentis in se Christi, magnus, inquam, ille veritatis propugnator et doctor. Eoque nomine omnem quoque humanam ac terrenam scientiam nihil supra specula et aenigmata (Ibid. 12) esse statuit, utpote quae ultra exigua veritatis simulacra minime sese porrigat. Quod nisi me quispiam in hujus generis rebus exquirendis nimis curiose et supervacanee versari existimet, dicere quoque non verear, nec alia quidem fortasse, quam haec, ea esse, quae Christus ipse portari in hac vita posse negavit (Joan. 16, 12), velut aliquando portanda et declaranda; et quae ille Verbi praecursor Joannes et magna Veritatis vox [1]), ne a mundo quidem capi posse (Id. 21, 25) pronunciavit.

1) Nisi cum Billio dicere velimus Gregorium memoriae lapsu Joanni Baptistae adscripsisse verba, quae sunt Joannis evangelistae, dicendum erit eum praedicata, quae alioquin Joannem Baptistam designant, propter quandam muneris analogiam tribuisse apostolo Joanni.

21. Omnis quidem veritas et disputatio plurimum difficultatis atque obscuritatis habet; ac nos velut parvo quodam instrumento res magnas efficere molimur, humanae videlicet sapientiae adjumento rerum cognitionem aucupantes, ac res, quae animi tantum intelligentia comprehenduntur, per sensus cognoscere aggredientes; aut certe non sine sensibus, quibus undique jactamur et in errorem pertrahimur, nec nuda mente cum nudis rebus versari, atque inde ad veritatem propius accedere, rebusque perceptis ac comprehensis mentem informare possumus. Sed ea disputatio, quae de Deo suscipitur, quo perfectior, eo quoque difficilior est, pluribusque objectationibus patet, in iisque diluendis ac dissolvendis plus negotii facessit. Nihil enim tam levis exiguique ponderis nobis adversari potest, quod non disputationis cursum interrumpat atque comprimat, impediatque quominus ultra progrediamur. Quemadmodum qui equos ad cursum incitatos repente freno retrahunt, ac per inopinatam et repentinam excussionem retrorsum agunt. Si nimirum Salomon, qui omnibus cum suae tum superioris memoriae hominibus sapientiae laude (3. Reg. 3, 12) praestitit, et cordis latitudinem Dei beneficio accepit, ac tantam con-

templationis copiam et ubertatem (2. Paral. 1, 12), ut arenae numerum excederet, quo altius in has profunditates penetrat, hoc magis aestuat, ac finem quendam sapientiae constituit, nimirum quod invenisset, quantum ea a se fugeret (Eccle. 7, 24, et 8, 17). Consimili quoque modo Paulus, non dicam Dei naturam, hoc enim prorsus supra humanas vires esse perspectum habebat, sed Dei solum judicia cognitione assequi conatur. Quoniam autem nec exitum ullum, nec quo ascensum figere ac stabilire posset, reperiebat, nec perspicuo ullo fine curiosa ipsius animi perscrutatio claudebatur, quod videlicet subinde semper aliquid reliqui esse perspiceret: o rem miram ac stupendam! (ut ipse quoque eodem affectu commovear), orationem admiratione circumscribit, idque Dei opes ac profundum appellat, ac Dei judicia (Rom. 11, 33) nullius ingenio percipi et comprehendi posse ingenue fatetur, iisdem propemodum verbis cum Davide utens, qui nunc judicia Dei abyssum multam, vocat (Psal. 35, 7), cujus fundus nec mensura, nec sensu capi queat; nunc mirabilem factam esse scientiam ex se ipso (Psal. 138, 6) suique ipsius constitutione pronunciat, atque adeo robustam, ut viribus nostris eam capere et complecti nequeamus.

22. Ut enim missa alia faciens, inquit, me ipsum omnemque humanam naturam et compagem intuear, quae haec mixtio nostra est? Quis motus? Quomodo id, quod immortale est, cum mortali copulatum est? Quomodo deorsum fluo et sursum feror? Quomodo anima circumscribitur? Quomodo vitam impertitur, et affectuum fit particeps? Quomodo mens simul et circumscripta est, et nullis terminis inclusa in nobis manet, et motus fluxionisque celeritate omnia perlustrat? Quomodo sermonis opera percipitur vicissim, et communicatur, ac per aërem grassatur, et cum rebus ipsis ingreditur? Quomodo cum sensibus consuetudinem habet, ac rursus seorsim a sensibus sese colligit? Atque ut quae priora sunt, dicam, quae prima nostri effictio et constitutio in naturae officina? Quae etiam postrema formatio ac perfectio? Quae cibi appetitio ac distributio? Quis nos sponte ad primos illos fontes ac vitae causas duxit? Quomodo corpus cibis, animus contra sermone ac doctrina pascitur? Quae est illa naturae vis mutuaque inter parentes et liberos affectio, ut quasi quodam philtro contineantur? Quomodo firmae ac stabiles sunt species, et interim notis inter se distinctae, quarum proprietates, cum tanto numero sint,

assequi non possumus? Quomodo idem animal mortale simul et immortale est? mortale quidem ratione migrationis, immortale autem ratione procreationis [1]? Ut enim aliud morte subducitur, ita rursus ipsi aliud subrogatur, non secus atque in fluminis tractu, quod simul fluxum est et stabile. Multa de hominis membris et partibus adhuc commemorare possis, ac de mutua earum concinnitate, quippe quae naturae lege ac ratione non minus ad elegantiam quam ad utilitatem conjungantur simul et distinguantur, praecellant et dignitate inferiores sint, uniantur et distrahantur, contineant et contineantur. Multa etiam de vocibus et auditu: nimirum quo-

---

1) *Ratione procreationis.* Gregorius hic hominem respicit, non quatenus ex anima et corpore compositus est, sed tantum quatenus est animal, aut juxta id, quod cum ceteris animantibus commune habet. Porro ea ex parte seu habita tantummodo ratione corporis, homo ad Gregorii mentem *interitu mortalis est, immortalis vero procreatione*, quia videlicet deficiente uno corpore aliud nascendo succedit, ita ut nunquam desinat esse corpus humanum, (seu species humana) *non secus atque*, ut ait ipse Gregorius, *in fluminis tractu, quod simul fluxum est et stabile.* Unde immortalitas hic a Gregorio sumitur pro speciei perpetuitate i. e. pro perpetua morientium et nascentium hominum successione. **Edit. maurini.**

modo illae per vocalia instrumenta deferantur, hic vero eas excipiat, ac per intermedii aëris percussionem atque impressionem inter se jungantur. Multa item de oculis, qui modo quodam ineffabili cum iis rebus, quas cernimus, commercium habent, ac sola voluntate, simul etiam cum ea moventur, eodemque modo cum mente afficiuntur. Pari enim celeritate et haec intellectilibus, et illi visibilibus rebus junguntur. Multa praeterea de reliquis sensibus, qui velut admittendis externis rebus destinati sunt, nec ratione percipiuntur. Multa denique de ea, qua in somnis fruimur, quiete atque insomniorum figmentis, de memoria et reminiscentia, de ratione, et ira, et cupiditate reliquisque, ut uno verbo complectar, quibus parvus hic mundus, id est, homo, gubernatur.

23. Visne aliorum quoque animantium discrimina, quibus tum a nobis, tum inter se differunt, naturas etiam et ortus, et educationes, et regiones, et mores, ac velut in republica vitae officia enumerem? Quonam modo alia societate delectantur, alia solivaga sunt? Alia herbis, alia carnibus nutriuntur? Alia saeva et truculenta sunt, alia mansueta? Alia cum hominibus versari atque ali solent, alia indomita et libera sunt? Alia ad rationem

et disciplinam propius accedunt, alia a ratione et disciplina prorsus abhorrent? Alia pluribus sensibus, alia paucioribus praedita sunt? Alia motu carent, alia gradiendi facultatem habent? Alia celerrima, alia tardissima sunt? Alia magnitudine et pulchritudine, aut alterutro horum excellunt, alia autem perexigua sunt, aut deformissima, aut etiam utroque vitio laborant? Alia strenua sunt, alia imbecilla? Alia injuriam aperto impetu propulsant, alia suspecta et insidiosa sunt? Alia cauta, alia incauta? Alia industriae reique familiaris administrandae laude florent, alia prorsus inertia sunt et improvida? Quodque prius dicendum erat, qui fit, ut alia humi serpant, alia corpore recto sint? Alia certa sede acquiescant, alia in utroque elemento degant? Alia elegantiae studiosa sint, alia cultum omnem respuant? Alia conjugata sint, alia a conjugio abhorreant? Alia pudica sint, alia libidini dedita? Alia foecundissima, alia parum foecunda? Alia diuturnae vitae, alia brevis? Deficiet me sermo, si sigillatim omnia persequi tentem.

24. Age piscium quoque naturam mihi considera, per aquas labentium et per liquidum elementum, ut ita dicam, volantium, ac proprium quidem aërem tuto haurientium,

in nostro autem periclitantium, quemadmodum nos quoque in aquis solemus: mores etiam eorum, et affectus, et coitus, et generationes, et magnitudines, et pulchritudines, certas item mansiones et oberrationes, congressus ac secessiones et proprietates terrestribus animantibus pene consimiles nonnullorum etiam societates, et contrarias, tam in formis quam in nominibus proprietates. Ad haec greges avium tecum reputa, quamque varia et multiplici figura sint, variisque coloribus: qui fiat ut alia muta sint, alia canora; quaeque horum suavissimi cantus sit ratio, et a quo hanc facultatem acceperint? Quis lyram cicadis in pectore dedit, et cantus illos atque garritus, quos, cum meridiano solis aestu ad musicam incitantur, in arborum ramis fundunt, ac nemora sono implent et viatorem vocibus prosequuntur? Quis cantum illum cum cygno contexit, quo tempore pennis in auram expansis ejusmodi sibilum edit, qui carminis instar sit? Mitto enim illas vi expressas voces, et quidquid artes adversus veritatem ingeniose comminiscuntur. Qui fit ut arrogans ille et medicus [1]) pavo elegan-

---

1) *Medicus*, μηδικός. Sic pavo appellatur, quod e Medorum regione sit allatus.

tiam gloriamque adeo affectet, ut quoties aliquem propius accedentem viderit, aut etiam feminis, ut ajunt, sese ostentare voluerit (nec enim pulchritudinis suae ignarus est), confestim elata cervice atque alis, quae aureum quendam fulgorem referunt, ac siderum splendorem imitantur, in orbem concinnatis, corporis sui pulchritudinem amasiis suis cum superbo quodam incessu velut in theatro spectandam proponat? Ac Scriptura quidem sacra mulierum in contexendis telis solertiam his verbis admiratur: *Quis dedit mulieribus texturae sapientiam rerumque varianda-rum scientiam* (Job. 38, 36)? Est enim hoc animantis ratione praediti eximiaque sapientia instructi, atque ad coelestia usque tendentis.

25. Tu vero mihi naturalem quoque animantium rationis expertium solertiam suspice, rationesque, si potes, declara. Quomodo volucres in petris, et arboribus, ac tectis, non minus elegantes, quam tutos et alendis pullis accommodatos nidos elaborant? Unde apibus et araneis tantus laboris atque industriae amor, ut illae quidem favos construant, ac sexangularum fistularum sibique invicem ex adverso respondentium adjumento contineant, et per intermedium parietem atque angulos rectis lateribus alternatim innexos do-

micilium suum fulciant, idque in tam caliginosis alvearibus obscurisque figmentis [1]): istae autem rursus per usque adeo tenuia et subtilia stamina multipliciter intensa sinuosas telas contexant (et quidem ex tam exiguis initiis, ut vix ulla oculorum acie pervideri possint), quae ipsis et pro eximio quodam domicilio sint, et venandis alimoniae causa imbecillioribus animantibus inserviant? Ecquis Euclides hoc artificium unquam imitando expressit, de lineis pertractans nusquam extantibus, atque in demonstrationibus anxio labore desudans? Ecquis Palamedes, qui etiam aciei instruendae artem, ac motus et figuras, nullis aliis praeceptoribus quam gruibus usus didicisse fertur, cum videlicet eas ordine ac multiplici volatus genere moveri perspexisset? Quinam Phidiae et Zeuxides, et Polygnoti, Parrhasii etiam et Aglaophontes, qui incredibili quadam elegantium formarum pingendarum et sculpendarum peritia claruerunt? Quis gnossius Daedali chorus ad musicos numeros sese movens in puellae gratiam ad omnem artis pulchritu-

---

1) Graece πλάσμασι. Legendum videtur πλέγμασι *textis calathis*. Alvearium enim haec est descriptio. Edit. maurini.

dinem confectus et expolitus? Quis cretensis labyrinthus, ut poëtarum more loquar, difficiles exitus et ambages habens, identidemque in sese per artis industriam incurrens? Taceo formicarum penuaria eorumque custodes, et alimenti aggestionem tempori respondentem, ac cetera ea, quae et de earum viis ac ducibus, et eo ordine, quem in operibus servant, historiarum monumentis consignata sunt.

26. Quod si horum omnium rationes assequeris, ac prudentiam eam, qua gubernantur, cognitam et exploratam habes, confer jam animum ad varia stirpium genera, artificiumque etiam illud expende, quod foliis ipsis inest, simulque et maximam oculis voluptatem et fructibus utilitatem affert. Considera, quaeso, et fructuum varietatem, et uberrimam copiam, ac praesertim eorum, quae ad vitam degendam maxime necessaria sunt, summam pulchritudinem. Cogita etiam stirpium et succorum, et florum, atque odorum, non modo suavissimorum, verum etiam ad corporis sanitatem aptissimorum, vires et facultates, colorum etiam elegantiam et qualitates, atque insuper gemmarum eximia pretia et splendores, quandoquidem omnia, tam quae ad necessarios vitae usus, quam quae ad delicias spectant, velut in communi convivio natura

proposuit; ut, si nihil aliud, ex ipsis saltem beneficiis Deum cognoscas, atque ob penuriam qua laboras, te ipso prudentior efficiaris. Hinc mihi facito, ut terrae communis omnium parentis latitudinem longitudinemque percurras, et maris sinus, tum mutuo nexu, tum etiam cum terra velut vinculis quibusdam constrictos, et nemorum pulchritudines, et fluvios, et fontes uberes ac perennes non modo gelidarum et potabilium aquarum, quaeque in terra sunt, sed earum etiam, quae infra terram fluentes, et specus quosdam subeuntes, ac deinde violento aliquo flatu impulsae atque repercussae, postea per conflictus hujusce atque obluctationis vehementiam inflammatae, quaqua sors tulerit, paulatim erumpunt, hincque calidorum balneorum usum nobis plerisque terrae locis, et cum contraria facultate [1]), suppeditant, gratuitam scilicet medicinam ac sponte promanantem. Dic obsecro quomodo et unde haec? Quaenam magna haec atque artis expers textura? Nec enim ob mutuam eam affectionem, quam inter se habent, minus laudis merentur, quam

1) *Cum contraria facultate* scil. aquae frigidae. Saepe enim scaturiunt e propinquo aquae calidae cum frigidis.

si seorsim unumquodque consideretur. Quo pacto terra firma et immota consistit? Quidnam pro vehiculo habet? Cujus rei adminiculo fulcitur? Quidque rursus fulturam illam sustinet? Neque enim rationi quidquam, cui innitatur, occurrit, si divinam voluntatem exceperis. Quo pacto ea partim in montium vertices assurgens, partim in campos subsidens, idque varie et multipliciter, ac denique paulatim alternando commutata, tum ad hominum usus uberior, tum varietate ipsa jucundior? Qui fit, ut partim in domicilia divisa sit, partim inculta et inhabitabilis relinquatur, quantum nimirum excelssimi quique montes ab ea abscindunt, atque alia ad alium quendam orbis finem dissecta porrectaque divini opifirii magnificentiam luculentissimo argumento declarat?

27. Jamvero mare, si non magnitudine sua mirabile mihi occurreret, lenitatem utique et placiditatem admirarer, simulque quo pacto fiat, ut quam visliberum ac solidum, finibus tamen suis consistat: quod si non lenitatem, magnitudinem certe suspicerem. Quoniam autem utraque laude excellit, utramque vim et facultatem praedicabo. Quis tantam aquarum molem conjunxit? Quis quasi vinculis quibusdam astrinxit? Qui fit ut attolla-

tur, et tamen loco suo se contineat, perinde ac vicinam terram reverita? Qui fit, ut cum fluvios omnes excipiat, ob exuberantes tamen opes et copias, aut quo verbo id appellandum sit, nescio, nullam amplitudinis accessionem faciat, sed eadem semper suique similis maneat? Qui fit, ut tantum elementum arenam pro termino habeat (Jerem. 5, 22)? Possuntne hoc expedire physici, atque inanis eruditionis laude celebres, ac vere cyatho mare, hoc est, res tantas ingenio suo metientes? An faciam ipse ut paucissimis verbis hoc ex Scriptura sacra explicem, idque probabilius ac verius, quam ipsi cum prolixis suis disputationibus? Praeceptum circumdedit super faciem aquae (Job. 26, 10). Hoc humidae naturae vinculum est. Jam quomodo terrestrem nautilum exiguo ligno ac vento ducit? (Hoc tu cum cernis, non admiratione defigeris? Non mens extra se rapitur)? Idque ut mare ac terra commoditatibus et commerciis inter se vinciantur, ac ea, quae natura adeo inter se dissident, ad hominis usum conjungantur? Qui porro fontium primi fontes, quaeras velim, o homo, si quid horum investigare aut invenire potes: tum quis fluviis campos et montes dissecuit, ac liberum cursum eis concessit? Quo etiam pacto ex contrariis rebus

miraculum exsistat, dum nec mare unquam regurgitat, nec fluvii subsistunt? Ad haec quae aquarum alimonia, quodque hujus discrimen, quippe res quaedam sunt, quae desuper rigantur, quaedam rursus, quibus potus per radices suas suppeditatur, ut ipse quoque delicioso dicendi genere utar, dum Dei delicias oratione complector?

28. Sed jam missa facta terra rebusque terrenis, indutis animi pennis in aërem convola, ut recto ordine progrediatur oratio: ac deinde te illinc ad coelestia coelumque adeo ipsum, et quae coelo superiora sunt, eveham. Quamquam ad ea, quae deinceps sequuntur, accedere refugit quidem ac reformidat oratio; sed tamen quantum licebit, accedet. Quis aërem fudit, uberem, inquam, hunc et copiosum thesaurum, non pro cujusque dignitate atque fortunis varie dimensum, non finibus ullis inclusum ac circumscriptum, non pro aetatum ratione distributum, verum, quod olim in manna contigit (Exod. 16, 18), quantum cuique sat sit, impertitum atque aequabilitatis honore decoratum? Quis, inquam, hoc avium vehiculum, hanc ventorum sedem, hoc elementum, quo et anni partes temperantur, et animantur animantia vel anima potius cum corpore conservatur, in quo corpora, et

cujus ope atque adjumento loquimur, in quo lumen et res lumine perfusae, atque ipse etiam aspectus per eum fluens? Volve jam animo ea quae sequuntur: nec enim mihi fas est aëri universum earum rerum imperium largiri, quae aëris esse censentur. Quae ventorum promptuaria? Qui nivis thesauri? Quis roris stillas, ut cum Scriptura loquar, peperit? E cujus utero glacies egressa est (Job. 38, 28)? Quis aquam in nubibus alligat (Psal. 134, 7), eamque (o rem admirandam!) partim in nubibus figit verbo compressam, tametsi natura sua fluxam et labilem, partim in totius terrae faciem effundit, ac tempestive et aequali modo spargit: ac neque humidam omnem substantiam liberam et solutam relinquit (sufficit enim purgatio illa, quae tempore Noë contigit, pactique sui (Gen. 9, 12) memoriam haudquaquam is abjecit, qui ab omni mendacio est alienissimus); nec rursus omnino inhibet, ne iterum Elia quodam opus habeamus, qui siccitatem depellat (3. Reg. 18, 44)? Si clauserit coelum (Deut. 11, 17), inquit Scriptura, quis aperiet? Si autem cataractas aperuerit (Gen. 7, 11), quis continebit? Quis enim immodicam vel pluviae retentionem ferret, nisi ille pluviae parens (Job. 38, 28) mensuris suis ac bilancibus omnia

regeret ac gubernaret? Quam vero rationem afferes de fulgetris ac tonitruis, tu, inquam, qui e terra tonas, ac ne tenuissimis quidem veritatis igniculis fulges? In quos vapores a terra excitatos hujus rei causam conferes, eosque nebularum parentes et velut architectos esse contendes, aut etiam aëris condensationem quandam, vel rarissimarum nubium compressionem et fragorem, ut compressio quidem illa fulgur, fragor autem tonitruum tibi pariat? Quemnam etiam flatum astrictum atque compressum, ac postea exitu carentem, uf et compressione ipsa fulgur, et perruptione tonitruum edat? Quod si aërem aëreaque omnia cogitatione peragrasti, mecum jam coelum quoque ac coelestia continge. Ceterum ducem potius fidem, quam rationem sequamur, si modo ingenii tui imbecillitatem in propinquioribus didicisti, rationisque id esse cognovisti, ut quaenam sunt ea, quae rationis humanae captum excedant, cognoscas; ne alioqui prorsus terrenus sis rebusque terrenis immersus, ipsam quoque ignorantiam tuam ignorans.

29. Quis coelum circumegit ac tornavit? Quis stellas ordine collocavit? Imo vero, ut quae priora sunt, dicam, quid coelum ipsum est? Quid stellae? An dicere hoc potes, o

sublimis disputator qui cum ea, quae ante pedes tuos sunt, ignores, ac ne te ipsum quidem metiri queas, et tamen, quae naturam tuam superant, curiose perscrutaris, hiantique ore in ea, quae mensuram omnem excedunt, incumbis? Ut enim tibi concedam, te orbes ac conversiones, accessiones etiam et recessiones, perceptas habere, solis etiam et siderum exortus, gradusque quosdam et minutias, ceteraque omnia, quibus tu eximiam tuam scientiam magnifice effers; nondum tamen hoc certa rerum comprehensio est, sed motus cujusdam observatio, quae diuturniori exercitatione confirmata, posteaquam ea, quae a pluribus observata sunt, in unum collegit, ac deinde rationem eorum excogitavit, ita demum scientiae nomen est consecuta; quemadmodum lunae affectiones in multorum notitiam venere, qui scientiae principium ab oculis acceperunt. At vero si insigni harum rerum cognitione instructus es, atque optimo jure in admiratione esse studes, dic quae ordinis hujus motusque causa sit? Unde hoc habeat sol, ut orbi universo ac omnium oculis tamquam chori cujusdam coryphaeus praeluceat, sidera alia splendore suo magis obscurans atque occultans, quam quaedam illorum alia? Cujus rei hoc argumentum est,

quod cum ea velut certatim fulgeant, ipse tamen splendidius fulget, nec quod una cum eo oriantur, cognosci sinat, pulcher ut sponsus, magnus ac celer ut gigas (Psal. 28, 6, et seqq.) (neque enim facere possum, ut aliunde quam ex meis libris, eum coornem ac celebrem), tantam vim et facultatem habens, ut ab aliis extremis alia extrema calore suo complectatur, nec res ulla ejus sensum effugiat: quin potius et oculus omnis luce et corporea natura calore compleatur; ac leni quidem sua temperie motuque ordinato calefaciens omnia, non urens, omnibus praesto est, et omnia aeque comprehendit.

30. Illud autem quantum tibi videtur, siquidem animadvertisti? *Idem in sensibilibus est sol, quod Deus in intellectilibus*, inquid profanus quispiam [1]). Ut enim hic mentem, ita ille oculos illustrat [2]): atque ut hic

---

1) Haec adscribuntur Platoni.

2) Haec non nimis sunt urgenda, ne in erroneas ontologismi theorias incidamus, a quibus alioquin admodum abhorruit s. Gregorius, ut vel ex hac oratione, praesertim n. 6. 12. patet. Impense enim inculcat, impossibile nobis esse sine corporearum ac sensibilium rerum adminiculo, rebus iis, quae animo ac ratione intelliguntur, omnino conjungi. Hinc clare docet nos ex rerum visibilium contemplatione ad Dei pertingere notitiam. Illustrat ergo Deus mentem ac-

res eas omnes, quae animo et ratione intelliguntur, pulchritudine vincit, ita etiam ille eas, quae oculorum sensu percipiuntur. Sed quid tandem illi motum initio dedit? Quid

---

tive et efficienter, quatenus creat animam intellectualem, quasi accendendo in nobis lumen intellectuale, quod est divini intellectus adumbratio quaedam, et hinc irradiatio quaedam quadantenus dici potest. Illustrat quatenus lumen intellectus conservat et ad intelligendum concurrit. Illustrat in ordine supernaturali immissis supernaturalibus illustrationibus, de quibus cf. praefat. opusc. 24. n. 7 ss. Illustrat objective, positiva scil. revelatione, qua plura mysteria nos docuit et vel ordinem naturalem miro perfudit lumine. Illustrat denique, quatenus cognitio vel naturalis Dei multum confert, ut recte et secundum rei veritatem judicemus de objectis ad ordinem spectantibus naturalem. Sicut enim sublato Deo omnis ordo ontologicus corrueret, ita etiam ordo logicus seu cognitionis consistere nequit negata Dei existentia. Similia habet s. doctor or. 21. n. 1. scribens: „Quod sol in sensibilibus, hoc Deus est in intelligibilibus: sol enim visibilem, Deus invisibilem mundum illuminat; ille oculos corporeos facit soli conformes, hic naturas intellectuales reddit deiformes. Et sicut sol oculis videntibus ac rebus visis, illis quidem videndi, his ut videantur, praestat facultatem, inter visibilia ipsemet existens omnium pulcherrimum: ita Deus impertiens intelligentibus et intellectis, illis ut intelligant, his ut intelligantur, ipse est supremum omnium intelligibilium, in quo omne desiderium sistit et supra quem ulterius non fertur."

eum perpetuo motu agitat ac circumducit, cum interim ratione stabilis sit et motus expers [1]), vere infatigabilis, vitae dator, animantium pater, et quibuscunque laudum titulis eum non immerito poëtae prosequuntur, ac neque motui unquam suo, nec beneficiis finem constituens? Quomodo diem procreat, cum supra terram est, ac noctem, cum sub terra? Quibus verbis utendum sit, nescio, cum solem intueor. Quodnam hoc dierum ac noctium incrementum, et vicissim quae diminutio? Quae inaequalitatis aequalitas, ut novum aliquid et insolens dicam? Quomodo anni partes efficit, et ita dividit, ut certis et constitutis vicibus accedant et recedant, ac veluti in chorea, complexu quodam inter se haereant, simulque distinguantur (illud amicitiae lege, hoc ordinis praescripto), sensimque intermisceantur, ac vicinitate ipsa, perinde atque in diebus ac noctibus fieri videmus, furtim quodam modo irrepant, ac se proripiant. Quod quidem idcirco fit, ne ob insuetudinem molestiam afferant. Sed cursum suum sane sol obeat. Quid? Num lunae na-

1) Ἑστῶτα λόγῳ καὶ μὴ κινούμενον. Sensus est: Sed quid soli ab initio motum dedit? Quid eum perpetuo agitat et circumducit, cum motum ex essentiae ratione non habeat, sed potius quiescat?

turam et affectiones, et luminis mensuram ac cursus pernosti? Et quomodo, ut sol diei principatum tenet, sic luna quoque nocti praesideat? Atque ut haec feris audaciam affert, ita vicissim ille hominem ad laborem excitet, dum appositissime ad hominum utilitatem vel sese attollit, vel deprimit? An tu Plejadis vinculum, aut Orionis maceriam (Job. 38, 31) instar illius, qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat (Psal. 146, 4), intelligis, ac cujusque gloriae discrimen perspectum habes, motusque ordinem, ut sit causa, cur tibi fidem habeam, qui per eas humana contexens, creaturam adversus Creatorem armas?

31. Quid ais? Hic dicendi finem faciemus, nec ultra res eas, quae materia constant oculisque corporis cernuntur, orationem diffundemus? An potius, quoniam mosaicum illud tabernaculum mundi totius figuram et imaginem (Hebr. 9, 24) extitisse docet Scriptura (mundus porro ex visibilibus et invisibilibus constat), idcirco penetrato primo velo transcensisque rebus illis, quae sensum movent, in Sancta prospiciemus, hoc est, in supercoelestem naturam, quaeque nonnisi ratione atque intelligentia percipitur? Sed ne hanc quidem, tametsi corporis expertem, incorporeo

modo cernere possumus, quippe quae ignis et spiritus appelletur aut efficiatur [1]). Deus enim, ut Literis sacris proditum est, angelos suos spiritus facit, et ministros suos flammam ignis (Psal. 103, 4); nisi forte hoc loco *facere*, nihil aliud significet, quam eadem, qua primum procreati sunt, ratione tueri et conservare. Spiritus porro atque ignis angelus appellatur: illud, quia intellectili natura est praeditus, hoc, quia purgandis animis nostris

---

1) Licet angelici spiritus sint incorporei, eos tamen incorporeo modo cernere seu cogitare non possumus; propterea sub forma sensibili ignis et venti nobis exhibentur et describuntur, ut designetur eorum natura subtilis, agilis, intellectualis seu spiritualis, et eorum purgandi vis. Hisce vero symbolis seu metaphoris vel ipsa Dei natura adumbratur. Πλὴν ἡμῖν γε ἀσώματος ἔστω, ἢ ὅτι ἐγγύτατα, quod ita vertunt maurini: *Sed sint sane nobis illi incorporei* i. e. Sed etiamsi assequi possimus angelorum naturam esse incorpoream vel quam proximam primae substantiae, quam parum tamen de ipsis cognoscimus. Nomine *splendorum* λαμπρότητας forte intelligit cherubim, et nomine ascensuum ἀναβάσεις seraphim; tunc omnium novem ordinum angelicorum hic haberetur mentio. — *Vel certe non facile mobiles* ἢ δυσκινήτους, quo non significat, angelos modo adhuc esse ita comparatos, ut in bono possint deficere: sed hoc refertur ad eorum conditionem primitivam, ad statum viae, in quo poterant peccare, ut patet ex Luciferi lapsu.

adhibetur; quandoquidem primaria quoque illa essentia iisdem nominibus in Scriptura nuncupatur. Sed sint sane nobis illi incorporei, aut quam proxime ad hoc accedentes. Vides enim quomodo circa hujusmodi sermonem aestuemus, nec quo progrediamur, habeamus; aut certe non ultra progredi possimus, quam quod angelos quosdam et archangelos scimus, thronos, potestates, principatus, dominationes, splendores, ascensus, intelligentes virtutes, vel mentes potius, puras naturas, minimeque adulterinas, ad malum immobiles, vel certe non facile mobiles, perpetuos choros circa principem illam causam agitantes; aut (si quid aptius quisquam earum laudibus decantandis afferre queat), purissimo splendore illinc perfusas, aut pro naturae et ordinis cujusque proportione alias alio modo collustratas; quae a summa illa pulchritudine adeo informantur et imprimuntur, ut ipsae alia quoque lumina efficiantur, ac per primi luminis influxiones et communicationes alios illuminare possint; quae, cum divinae voluntatis ministrae sint (Hebr. 1, 14), roboreque non modo naturali, sed etiam adventitio [1]) polleant, loca omnia peragrant,

1) *Sed etiam adventitio* scil. ad patranda miracula, quae virtus ipsis non est propria et naturalis.

omnibus ubique impigre adsunt [1]), tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturae

---

1) Paucis hic s. Gregorius doctrinam christianam de angelorum custodia attingit, quam nonnihil illustrabimus aliorum patrum effatis. In *primis* ergo tamquam fidei dogma tenendum est, angelos in hominum custodiam deputari. Quod sicut Paulus Hebr. 1, 14. clarissime tradit, ita unanimiter patres docent. Ita jam Origenes inter ea, de quibus nulla in Ecclesia controversia, et hoc memorat (de princ. praef. n. 10): „Est etiam illud in ecclesiastica praedicatione positum: esse angelos Dei quosdam et virtutes bonas, qui ei ministrant ad salutem hominum consummandam.“ Hilarius passim ut in Ps. 137. et cap. 18. in Matth. 18. n. 5., ubi inter alia scribit: „Angeli praesunt pusillorum fidelium orationibus. Praeesse angelos absoluta auctoritas est.“ Augustinus vero, ut evincat angelos quoque a nobis esse diligendos, hanc reddit rationem (de doctr. chr. l. 1. c. 30. n. 33): „Si vel cui praebendum est, vel a quo nobis praebendum est officium misericordiae, recte proximus dicitur, manifestum est, hoc praecepto, quo tenemur diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiae, impenduntur officia, quanta multis divinarum Scripturarum locis animadvertere facile est.“ Cf. Basilius reg. 1. fusius tract. n. 3; de Spiritu s. c. 13. n. 30; Cyrillus alex. de adoratione in spiritu et verit. l. 4. (Mig. 68, 314, 335); in Ps. 90, 12; in Luc 4, 10; Chrysostomus hom. 7. de laudibus s. Pauli; Joannes Jejunator s. de poenit. Alia reperies apud Petavium l. 2. de ang. c. 7; Thomassinum de incarn. l. 11. c. 4.— 2. Certum est, singulos saltem fideles suos habere an-

levitatem; aliae etiam aliam quandam orbis partem complectuntur, aut certe aliis quae-

---

gelos custodes. Id eruunt patres haud immerito ex Matth. 18, 10. Contra Celsum l. 8. n. 34. Ex his enim liquet vel judaeorum pusillis suos adfuisse angelos, qui horum gererent curam et solicitudinem: nec ratio est, cur illos adultos desererent. Sed profecto privilegia vel praerogativae synagogae transierunt ad Ecclesiam: quare tenendum omnino est, Ecclesiae membra angelorum frui custodia. „Adest unicuique nostrum, inquit Origenes hom. 20. in Num., etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, angelus bonus, angelus Domini, qui regat, qui moveat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus exposcendis quotidie videat faciem Patris.“ Hom. 1. in Ezech. (ab Hieronymo versa): „Qui (Christus) distribuit eos custodes credentium nomini suo: tu heri sub daemonio eras, hodie sub angelo.“ Citatis autem verbis Christi Matth. 18, 10. ita prosequitur: „Obsequuntur saluti tuae angeli, concessi sunt ad ministerium Filii Dei, et dicunt inter se: Si ille descendit et descendit in corpus, si mortali indutus est carne et sustinuit crucem et pro hominibus mortuus est, quid nos quiescimus, quid parcimus nobis? Eja omnes angeli descendamus e coelo etc.“ Hom. 23. in Luc.; Athanasius in Ps. 90, 11. citatis variis Scripturae effatis subdit: *Ex omni parte* igitur ediscimus, quod universorum Deus eos, qui credunt in ipsum, per angelos custodiat. Basilius in Ps. 33. n. 8; in Ps. 48. n. 9; de virginit. n. 29; in Is. 5, 5. n. 145; l. 3. contra Eunom. n. 1., ubi ita habet: „Quod autem unicuique fidelium adsit angelus tamquam paedagogus aliquis et pastor vitam guber-

dam pars commissa est, ut novit, qui haec ordinavit ac distinxit; ad unum rerum om-

---

nans nemo contradicat, qui Domini verborum meminerit dicentis: *Ne contemnatis unum ex his pusillis, quoniam angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est* (Matth. 18, 10), et Psalmista dicit: *Castrametabitur angelus Domini in circuitu timentium ipsum* (Ps. 33, 8); et *Angelus, qui eruit me a juventute mea* (Gen. 48, 16), et cetera id genus.“ Idem eruit Chrysostomus ex Act. 12, 15. hom. 26. in h. l. n. 5. Hinc Primasius in Hebr. 1. 14. scribere potuit: „Generaliter autem, sicut doctores dicunt, unicuique fidelium ab ortu nativitatis vel potius a tempore baptismatis datur a Deo angelus ad sui custodiam et qui suadeat bona agere.“ — 3. Communis est theologorum sententia, singulis hominibus suos adesse angelos custodes, nam sine ulla limitatione pronunciat Hieronymus in Matth. 18, 10: „Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum,“ et Theodoretus propter eadem verba Matth. 18, 10. q. 3. in Gen.: „Christus Dominus dixit, singulos homines subesse singulorum angelorum procurationi.“ Cf. etiam ejusd. haeret. fabul. l. 5. c. 7. Isidorus hispalensis l. 1. sentent. c. 10. n. 21: „Omnes homines angelos habere probatur loquente Domino in Evangelio: *Amen dico vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.* Unde et Petrus in Actibus apostolorum cum pulsaret januam, dixerunt intus apostoli: *Non est Petrus, sed angelus ejus est* (12, 15). — 4. Plures quoque patres docent, singulis regnis, provinciis, ecclesiis praeesse angelos. Quod ut confirment,

nium Conditoris nutum omnia in unum jungunt; divinae majestatis laudes canunt, ac

provocant ad Dan. 10, 12. ss.; Deut. 32, 8. sec. LXX; Act. 16, 9; Zach. 1, 12. etc. Ita passim Theodoretus, ut in Dan. 10, 13: „Ex his igitur discimus, quod unicuique angelorum singulorum e nobis cura concredita sit, ut custodiant et tueantur et a pravi daemonis nos liberent insidiis. Archangelis vero illud munus impositum, ut gentium sint praefecti, sicut b. Moyses docuit (Deut. 32, 8), cujus dictis item b. Daniel consentit, cum ipse regni persarum principis et rursus paulo post principis graecorum mentionem faciat.“ Cf. q. 3. in Gen.; ad Gal. 3, 19; haeretic. fab. l. 5. c. 7; Augustinus in Ps. 88: „Non clausit Deus fontem bonitatis suae etiam in alienigenas gentes, quas sub angelis constituerat, portionem sibi faciens populum Dei.“ Ambrosius serm. 1. in Ps. 118. n. 9: „Quanto magis, si quis allevet mentis oculos et consideret, plena esse angelorum omnia, aëra, terras, mare, ecclesias, quibus angeli praesunt (mittit enim Dominus angelos suos ad defensionem eorum, qui heredes futuri sunt promissorum coelestium), concepto potest renunciare peccato . . . (n. 12) Plenus est enim mundus sanctarnm virtutum, quia plenus est nequitiarum. Plenus est orbis terrarum remediis, quia plenus est laqueis.“ Basilius c. Eunomium l. 3. n. 1: „Quod sint angeli quidam, qui gentibus integris praepositi sunt, docet nos per canticum Moyses (Deut. 32, 8.) . . . et sapiens Daniel (10, 12) etc.“; in Is. 1, 21. n. 46; in 10, 14. n. 240; Gregorius noster or. 38: „Nec mihi dubium est, quin alii aliarum ecclesiarum praesides ac patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi Joannes me docet;“ Hieron-

sempiternam illam gloriam sempiterne intuentur, non ut inde gloriae Dei aliquid ac-

---

mus in Dan. 10, 13; Epiphanius haer. 51. n. 34; Cyrillus alex. in 1. Cor. 11, 4; Dionysius Areopagita de coel. hierarchia c. 9; Gregorius M. Moral. l. 17. c. 12; Isidorus hispal. l. sentent. c. 10. n. 20; inter opera s. Joan. Chrysostomo supposita reperitur homilia inscripta: *Quod angeli praesint singulis climatibus* (Mig. 59, 687). — 5. Non desunt qui affirment, unicuique adesse duplicem angelum, alterum bonum, malum alterum, ut Hermas pastor l. 2. mandato 6; Origenes hom. 12. in Lucam, ubi ita scribit: „Unicuique duo assistunt angeli, alter justitiae, alter iniquitatis . . . Quomodo ergo per singulos homines bini sunt angeli, sic opinor et in singulis dispares esse provinciis, ut sint boni, sint et mali.“ Cf. hom. 35; Gregorius Nyssenus l. de vita Moysis; Serenus abbas apud Cassianum collat. 8. c. 17; 13. c. 12; Christianus Druthmarus in Matth. 18, 10. (Migne 106, 1409.): „Ex hoc loco et ex aliis invenimus, quod unusquisque homo duos angelos habet sibi deputatos a die ortus usque ad diem mortis suae, bonum et malum.“ Cf. Huetium in Origenianis l. 2. q. 5. Denique Augustinus l. 83. qq. q. 79. statuit: „Unaquaeque res visibilis in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi praepositam, sicut aliquot locis divina Scriptura testatur.“ — 6. Graviter autem falluntur qui hujus ecclesiasticae doctrinae originem ex platonicis derivant commentis. Negari quidem non potest plura de angelo custode praeclare admodum dicta apud platonicos reperiri, ut apud Apulejum de Deo Socratis vol. 2. ed. bipont. p. 287. et Epictetum, qui (apud

crescat (nihil enim est, quod ei, qui plenus est, aliisque honorum auctor, accrescere queat); sed ne etiam primae illae post Deum naturae beneficio affici desinant. Haec si pro rei dignitate a nobis praedicata sunt, Trinitati atque uni in tribus personis Divinitati gratia habenda est; sin autem cupiditati minus satis factum est, sic quoque orationi palma parata est. In hoc enim omni dicendi contentione incubuimus, ut ostenderemus ne ipsam

---

Arrianum diss. l. 1. c. 14.) ita habet: „Tutorem unicuique assignavit Deus singulorum genium et huic ipsum custodiendum tradidit, et quidem ejusmodi, qui neque dormiat, neque falli possit. Nam cui tandem alteri praestantiori ac sollicitiori custodi unumquemque nostrum committeret? Itaque quando januas occluseritis et tenebras intus induxeritis, mementote uti nunquam vos solos esse dicatis, non enim estis, sed Deus intus est et genius vester. Cf. Petavium l. 2. c. 7. Hallucinantur tamen qui idcirco inferunt, patres hanc doctrinam ab his mutuasse philosophis. Sane 1. nullus unquam patrum hanc persuasionem e philosophorum placitis probat, sed 2. omnes illam proponunt tamquam divinitus traditam, hinc eam confirmant Scripturae effatis. Quare 3. potius dicendum est, gentilium doctrinam de angelorum tutela reliquias quasdam continere revelationis divinae vel generi humano in patriarchis factae vel populo judaico, et hinc ad alios derivatam esse populos: idcirco autem prae aliis doctrinae capitibus melius fuisse conservatam, quod admodum rationi se commendarit.

quidem secundarum rerum naturam hominis mente atque ingenio comprehendi posse, nedum primam illam ac solam, vereor enim dicere, omnibus rebus excelsiorem.

## ORATIO THEOLOGICA III.

### De Filio[1]).

### ARGUMENTUM.

I. Praeceps in sacris disputationibus celeritas perniciosa. Duplex disputationis genus. II. Quaenam fuere veterum de Deo sententiae. Catholica fides unum Deum credit et confitetur. Pater genitor, Filius genitus, Spiritus procedens. III. Trium personarum in Deo aeternitas. Prima eunomianorum objectio. IV. Secunda objectio. V. Tertia objectio. Quarta objectio. VI. Quinta objectio, eunomianorum dilemma. Gregorii dilemma. Alterum Gregorii dilemma. Objectionis eunomianorum solutio. VII. Urget eunomianos. VIII. Filii generatio incomprehensibilis. Hominis generatio ignota, quanto magis Dei generatio. IX. Sexta objectio. Gregorii responsio. X. Septima eunomianorum objectio. Gregorii responsio. XI. Quod soli Deo proprie convenit, Dei essentia est. Ingeniti significatio. XII. Octava objectio. Ingenitum et genitum opponuntur, ut habitus et privatio. XIII. Nona objectio. Rationalis anima coepit esse, sed nunquam desinet esse. XIV. Filius non aequivoce, sed realiter et proprie Deus est. Eunomianorum fraudes. XV. Eunomianorum paralogismus. XVI. Alia objectio. Responsio. Quid indicat nomen Patris. XVII. Filii

1) In editione maurina 29. la. §5.

Divinitas Scripturarum testimonio demonstratur. XVIII. Scripturae testimonia ab eunomianis adversus Filium Dei prolata. XIX. Filius Dei quod erat permansit, quod non erat assumpsit. XX. Duplex in Christo natura. XXI. Crucis mysterium disputationibus evacuatur. Pro eunomianis orat Gregorius.

1. Haec quidem sunt, quae quispiam ad compescendam eorum disputandi promptitudinem praecipitemque celeritatem, cum in omnibus rebus, tum maxime in iis disputationibus, quae de Deo habentur, periculosam, afferre possit. Quoniam autem objurgare haud magnum est; perfacile quippe et cujuslibet hominis: sententiam vero suam subrogare pii viri est ac mente praediti; age, Spiritus sancti, quem nos quidem adoramus, illi vero contemnunt ac pro nihilo habent, numine atque auxilio freti subnixique nostram de Divinitate fidem, quaecunque tandem illa est, perinde ac generosum quendam et maturum foetum in lucem producamus. Non quod alias unquam tacuerimus (hac enim una duntaxat in re fortes et magnanimi sumus), sed quod nunc majori quoque libertate ac fiducia veritatem profiteamur: ne alioqui ob timiditatem, ut Scripturae verbo utar, hac poena mulctemur, ut Deo minime placeamus (Hebr. 10, 38). Porro cum omnis sermo duplex sit,

alter, quo dogmata nostra confirmamus, alter, quo adversaria subvertimus: nos quoque, posteaquam doctrinam nostram potius exposuerimus, ita demum adversariorum placita confutare ac profligare conabimur: et quidem utrumque, quam fieri poterit, brevissime, ut quae a nobis dicentur, quasi uno quodam obtutu perspici facile possint (quemadmodum quem illi isagogicum libellum ad simpliciorum vel stolidiorum potius fraudem excogitarunt), ac non ob sermonis prolixitatem sensa dilabantur, haud secus atque aqua, quae non canali coërcetur, sed per campos diffunditur ac solvitur.

2. Ut igitur ad rem accedamus, tres antiquissimae de Deo sententiae sunt, anarchia, polyarchia et monarchia [1]). Ac duae quidem priores ab ethnicis lusae sunt, et sane ludantur. Nam et quod nullius imperio gubernatur, confusum est ac perturbatum: et quod a pluribus dominis et principibus administratur, factionibus dissidiisque obnoxium est, ac pro-

---

1) *Anarchia, polyarchia et monarchia* i. e. atheismus, polytheismus et monotheismus. — Ἐπαίχθησαν *lusae sunt.* „Hoc verbo utitur Gregorius, inquit Elias, quod a rebus ludicris nihil differrent ea, quae ipsi introducerent atque in deorum numerum referrent, vel quod omnino digna sint, quibus illudatur.“

inde nec a quoquam gubernatur, nec ordine ullo et disciplina continetur. Ambo etiam ista eodem tendunt, nimirum ad ordinis perturbationem, haec autem ad solutionem; perturbatio quippe solutionis meditatio est. At nos unius principatum colimus; unius autem principatum dico, non quem persona una circumscribit (fieri enim potest, ut quod unum est, si a se ipso dissideat secumque discordet, multa fiat), sed quem aequalis naturae dignitas constituit, et voluntatis consensio [1]) motusqūe identitas, atque ad unum eorum, quae ex ipso sunt, conspiratio, (id quod in rebus procreatis fieri nequit), ita ut, etiamsi numero differant, essentia tamen et natura minime distinguantur. Quocirca unitas principio in binarium mota, in Trinitate constitit. Atque hoc nobis est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; Pater quidem genitor et productor, citra tamen ullam passionem ac

1) *Voluntatis consensio.* Cum s. Gregorius nazianzenus certissime admiserit unam in tribus personis divinis naturam, et quidem unam non tantum unitate specifica sed numerica et singularitatis, patet, eos patres, qui subinde loquuntur de personarum divinarum unitate per voluntatis consensionem non necessario excludere unitatem divinae naturae physicam et statuere unitatem tantum moralem divinarum personarum.

tempus, atque incorporeo modo: horum autem alter soboles, alter procedens [1]), aut quibus verbis haec quispiam vocare queat, nescio, ab iis prorsus abstrahens, quae sub aspectum cadunt. Neque enim bonitatis superfusionem dicere audebimus (tametsi quispiam [2]) eorum, qui apud ethnicos philosophiae laude floruerunt, hoc vocabulo uti non dubitarit, cum de prima et secunda causa dissereret, perspicuis verbis ita loquens: *Velut poculum quoddam superfluxit*); ne coactam quandam generationem ac velut naturalem quandam superfluitatem, quae retineri nequeat minimeque Divinitati congruat, invehamus. Proinde finibus nostris nosmet continentes, ingenitum et genitum inducimus, et ex Patre procedentem (Joan. 15, 26), ut quodam loco Deus ipse ac Verbum pronunciavit.

3. Sed quando haec, inquient? Nimirum haec supra quando [3]) sunt. Quod si etiam audaciuscule aliquid dicendum est, tum haec erant, cum Pater erat. Quando autem Pater?

---

1) Τὸ δὲ πρόβλημα, proprie processionis seu spirationis terminus, quod vi processionis, quatenus haec a generatione distinguitur, procedit.

2) *Quispiam* scil. Plato.

3) *Supra quando sunt* ὑπὲρ τὸ πότε supra tempus sunt.

Nunquam non fuit. Idem de Filio, idem de Spiritu sancto promptum est dicere. Quod si rursus me interroges, rursus tibi respondebo. Quando Filius genitus est? Cum Pater genitus non est. Quando Spiritus processit? Tum cum Filius non processit, sed citra tempus ullum ac supra omnem rationis humanae captum genitus est: etiamsi id quod supra tempus est, declarare cupientes, temporalem speciem ac significationem fugere nequeamus. Etenim hae voces *quando*, *antehac*, *posthac*, *a principio*, temporis neutiquam expertes sunt, quamcunque vim illis inferamus; nisi forte aevum accipiamus, hoc est, intervallum illud, quod simul cum rebus aeternis extenditur [1]), nec ullo motu, aut solis cursu (quod quidem tempus est), definitur. Quid ergo, inquies, si Filius et Spiritus sanctus Patri coaeterni sunt, quid afferri potest, quin principii quoque, quemadmodum et ille, sint expertes? Quia ab ipso sunt, licet non post ipsum. Quod enim principio caret, aeternum quoque est: quod autem aeternum est, non protinus quoque principio vacat, quandiu ad Patrem, velut ad principium et ori-

1) *Cum rebus aeternis extenditur*, quod concipimus aeternitati quasi coëxtensum et quod rerum mundanarum cursui non est obnoxium.

ginem, refertur. Ergo illi, quantum ad causam, principio minime carent. Perspicuum autem est, causam non continuo antiquiorem esse iis, quorum causa est; neque enim sol lucem tempore antecedit [1]). Quantum autem ad tempus principii expertes sunt, licet tu verborum larvis simpliciores animos territes. Nec enim tempori subsunt ea, ex quibus tempus originem sumpsit.

4. Quomodo ergo a passione immunis est haec generatio? Quia incorporea. Si enim corporea generatio passionem conjunctam habet, expers utique passionis erit incorporea generandi ratio. Atque ego ex te vicissim quaeram: Quomodo Deus erit, si creatura est [2])? Non enim Deus esse potest, quod

---

1) Aptissima est haec similitudo, hinc in deliciis apud patres ad explicandum, quomodo Filius, licet sit genitus et hinc a principio, Patri tamen sit coaeternus. Sicut enim splendor e luce dimanat ac procedit, ita tamen ut sit luci coaevus, neque enim lux absque splendore concipi potest, ita nec Pater absque Filio, qui est splendor ejus gloriae (Hebr. 1, 3), esse, imo ne cogitari quidem potest: proinde licet sit a Patre, aeque aeternus est ac Pater.

2) *Si creatura est* scil. Filius, ut putabant eunomiani. Advertit dein, si eunomiani generationem in Deo carnali modo concipiant, posse etiam creationem, quam admittebant, carnali modo accipi, et absurda iis

creatur; ne dicam, quod hic quoque passio sit, si corporeo modo id accipiatur, hoc est, tempus, cupiditas, informatio, cura, spes, moeror, periculum, spei frustratio, correctio: quae omnia atque his plura circa creaturam accidere nemo est qui non facile perspiciat. Demiror autem, quin tu eo quoque audaciae prorumpas, ut coitus quosdam, et praegnationis tempora, et abortus pericula cogites, perinde ac non aliter gignere potuerit Pater, si non ita genuerit: aut rursus avium quarundam aliorumque animalium, quae vel in terra, vel in aquis degunt, generationes enumeres, ac cuipiam harum generationem divinam illam et ineffabilem subjicias, aut etiam Filium per hanc novam hypothesim de medio tollas. Ac ne illud quidem perspicere potes, cujus diversa sit carnalis generatio (alicubi enim apud homines Deiparam Virginem nosti), hujus diversam quoque atque ab aliis discrepantem esse spiritualem generationem: vel, ut rectius dicam, cujus esse ipsum minime idem sit, ejus diversam quoque esse generandi rationem.

5. Quisnam ergo est Pater ille principii expers? Is nempe, cujus ne ulla quidem ip-

similia inferri, propter quae generationem divinam respuebant.

sius essentiae origo reperiri potest. Qui autem aliquando esse coepit, hic quoque paternitatis suae principium habuit. Non igitur Pater postea extitit [1]), quandoquidem nec esse aliquando coepit: et Pater proprie est, quia non etiam filius: quemadmodum vicissim Filius proprie filius, quia non etiam Pater. Nam quod ad nos attinet, neutro nomine proprie appellari possumus, quoniam utrumque sumus; neque hoc potius, quam illud; nec ex uno, sed ex utroque parente nascimur, ac proinde dividimur, paulatimque homines efficimur; imo ne homines quidem fortasse [2]), et quales noluimus, tum dimittentes, tum dimissi, adeo ut solae relationes rebus ipsis orbae relinquantur. At, inquies, ipsum hoc

---

1) *Non igitur Pater postea* i. e. Deus non est factus postea Pater, sicut homo, qui prius est homo, dein fit pater. Et hinc quia semper fuit Pater et nunquam filius, plenissimo et verissimo sensu est Pater. Homines vero modo sunt filii, modo sunt patres, hinc quodammodo dividuntur in filiationem et paternitatem, neque hanc ex integro possident, cum filii ex utroque parente nascantur: et mox filii deseruntur a patribus, qui moriuntur, et patres deserunt filios, hinc neque plenissimo verissimoque sensu sunt patres vel filii.

2) *Ne homines quidem fortasse*, quia quandoque abortus vel monstra fiunt.

*genuit et genitus est*, quid aliud quam generationis principium inducit? Ego vero ita respondeo: Quid si ne hoc quidem dixerimus, sed, a principio genitus erat, ut curiosas ipsas ac temporis amicas objectiones nullo negotio fugiamus? An tu crimen nobis inferes, quasi Scripturae ac veritatis aliquid adulteremur? Nonne cuivis perspicuum est, ac praesertim in Scripturae usu positum, ut pleraque ex his, quae temporaliter dicuntur, inversa temporum rationi proferantur, nec ea solum, quae praeteriti temporis sunt, aut praesentis, sed etiam quae futuri significationem habent? Quo in genere illud est: *Quare fremuerunt gentes* (Psal. 2, 1)? (Nondum enim fremuerant). Et, *In flumine pertransibunt pede* (Ib. 65, 6), id est, pertransierunt. Nimis longum foret omnes hujusmodi voces recensere, quae a studiosis observatae sunt.

6. Atque ad hunc modum se habet haec illorum objectio. Jam quale illud eorum est, cujusque rixandi libidinis et impudentiae? Vel volens, inquiunt, Filium genuit, vel nolens. Ac deinde nexibus, ut quidem ipsi putant, utrinque adversarios illigant, non tamen firmis, sed perquam etiam imbecillis. Si enim nolens, inquiunt, vis ergo ei allata est. Et quisnam est qui vim intulit? Et rur-

sus, quomodo, cui vis allata est, Deus esse potest? Si autem volens, ergo Filius voluntatis est Filius. Quo igitur modo ex Patre progenitus est? Ita novam quandam matrem, voluntatem patris loco comminiscuntur. In hoc quidem argumento, primum hoc scitum ac lepidum est, quod a passione illa, quam tantopere urgebant, abscedentes, ad voluntatem confugiunt; non enim passio est voluntas. Deinde videamus, obsecro, quam vim habeat quod dicunt. Optimum autem fuerit, prius cum ipsis pedem propius conferre. Dic ergo ipse, quisquis es, qui temere, quidquid libido tua tulerit, effutis. Ex volente patre tuo procreatus es, an nolente? Si ex nolente, vis ergo ei allata est. O indignum facinus! Et quis tandem ei vim attulit? Non enim profecto naturam dixeris. Nam ei quoque sua constat castitas. Si autem ex volente patre, pater tibi propter paucas syllabas periit. Voluntatis siquidem filius, ac non patris extitisti. Sed ad Deum et creaturas transeo, ac tuammet quaestionem sapientiae tuae admoveo. Volensne Deus universam hanc rerum molem condidit, an nolens et coactus? Si coactus, hic quoque vis adhibita, et quidam qui vim adhibuit. Si autem volens, orbantur Deo, tum aliae creaturae, tum tu prae ceteris,

qui tales ratiocinationes talesque verborum captiones excogitas. Intermedia quippe voluntate a Creatore disjungentur. Verum aliud, ni fallor, est volens, aliud voluntas: aliud gignens, aliud generatio: aliud qui loquitur, aliud sermo, nisi forte temulenti simus. Horum enim alterum est, is qui movet, alterum velut motus ipse. Non ergo voluntatis est, volitum (neque enim hoc prorsus sequitur), nec generationis, quod genitum est, nec locutionis, quod auditum est, sed volentis, et gignentis, et loquentis. At quae in Deo considerantur, supra haec quoque omnia sunt, utpote cui generatio fortasse sit ipsa gignendi voluntas; verum nihil est intermedium, si modo hoc quoque omnino admittimus, ac non potius statuimus generationem hanc voluntate sublimiorem et praestantiorem esse [1]).

---

1) Advertit s. doctor etiamsi concedatur, Patrem volentem genuisse Filium, non sequi, ut inepte inferebant adversarii, Filium fore voluntatis filium, cum volitum sit proprie volentis, ac proinde semper esset Patris Filius, eoque magis quod in Deo seu in natura Patris nulla sit realis distinctio: hinc etiam nihil intermedium inter Patrem gignentem et Filium genitum, ut hic alterius possit dici Filius. Ceterum hoc sophismate, cui hic s. pater respondet, admodum delectabantur eunomiani: hinc passim ad illud respondent patres, et initio quidem pariter illud retorquent

7. Visne in Patrem quoque ipsum cavillis nonnihil ludam? Tu mihi ansam talia au-

---

ut Athanasius or. 3. c. arianos n. 62. ss.; Ambrosius de fide l. 4. c. 4; Cyrillus alex. thes. l. 7. p. 53; Augustinus serm. c. arianos n. 2. et de Trin. l. 15. c. 20., ubi haec refert: „Acute sane quidam respondit haeretico versutissime interroganti, utrum Deus Filium volens an nolens genuerit: ut si diceret, nolens, absurdissima Dei miseria sequeretur: si autem volens, continuo quod intendebat velut invicta ratione concluderet, non esse naturae Filium sed voluntatis. At ille vigilantissime vicissim quaesivit ab eo, utrum Deus Pater volens an nolens sit Deus, ut si responderet nolens, sequeretur illa miseria, quam de Deo credere magna insania est; si autem diceret volens, responderetur ei: Ergo et ipse Deus est sua voluntate et non natura. Quid ergo restabat, nisi ut obmutesceret et sua interrogatione obligatum insolubili vinculo se videret?“ Respondent dein directe vel concedentes Patrem volentem non nolentem gignere Filium, voluntate autem non praecedente, sed concomitante et naturali. Ita Cyrillus al. Thesauri assert. 7. (ed. Migne 75, 94): „Quemadmodum enim quod bonus sit et misericors, habet id non ex voluntate (praecedente), sed neque absque voluntate haec sunt. Vult enim esse id quod est semper et erit. Ita etiam licet non ex voluntate genuerit Filium, non tamen absque voluntate illum habet. Vult enim Filium et amat.“ Vel animadvertunt in operationibus naturalibus nullum esse locum volitioni et nolitioni ut iterum Cyrillus alex. l. c. (p. 98) „quae ex natura prodeunt, neque velle neque non velle admittunt.In rebus vero, quae extra nos et

dendi praebes. Pater itaque vel volens Deus est, vel nolens. Ac vide qua tandem ratione scitum illud tuum et acutum argumentum effugies. Si volens, quando velle coepit? Non enim prius quam esset. Neque enim prius quidquam erat. An partim in eo quiddam fuit quod voluit, partim quiddam quod in voluntatem cecidit? Divisibilis igitur erit. Quid autem afferri poterit, quin juxta tuam argumentandi rationem ipse quoque voluntatis foetus sit? Quod si nolens, quis eum coëgit, ut esset? Quo etiam modo Deus, si coactus est; et coactus quidem non ad aliud quidquam, quam ad hoc, ut Deus esset? Quomodo, inquis, Filius genitus est? Verum tu quoque responde, quomodo creatus est? Siquidem, ut ipse asseris, creatus est. Nam id quoque eadem difficultate laborat. Dices fortasse, voluntate et sermone. At nondum rem totam expedis. Quomodo enim operis vim

---

in nostra potestate sunt aut volumus aut nolumus.« Cf. Athanasium or. 3. c. arianos n. 61. ss.; Epiphanium haer. 69. n. 26, 68; Ancoratus n. 52. Quare in proposito sophismate negari debet suppositum vel ipsa distinctio, quae non est adaequata, cum aliqua volentes operemur, alia nolentes patiamur, alia nec volentes nec nolentes sed naturaliter operemur, quae operandi ratio omnem excludit coactionem maximamque includit spontaneitatem. Cf. Petavium l. 6. c. 8.

voluntas et sermo habuerint? Hoc explicandum adhuc tibi superest. Neque enim homo ita fabricatur.

8. Quomodo ergo, inquies, genitus est? Haud magna esset haec generatio, si a te percipi posset, quippe qui ne tuam quidem noris, aut certe exiguam quandam partem percepisti, quantumque te dicere pudeat. Et postea eam plene tibi cognitam esse censes? Magnus tibi labor prius subeundus est, quam ut rationes eas invenias, quibus constitutus, formatus ac manifestatus fueris, quibus etiam anima cum corpore, mens cum anima, ratio cum mente quasi vinculis quibusdam astringatur: tum quomodo corpus moveatur, et augeatur, atque alimentum ipsi assimiletur: ad haec quae sit sensuum ratio, quae memoriae, quae reminiscentiae, rerumque ceterarum, ex quibus constas: ac praeterea quae conjunctim utriusque partis sint, quae divisa et separata, quae rursus a se invicem accipiant. Quae enim temporis progressu perfectionem suam consequuntur, eorum certe rationes ipsae simul cum generatione exstiterunt. Dicas, velim, quae sint hae rationes; sed ne tum quidem de Dei generatione pertracta. Nec enim id periculo vacat. Si enim tuam cognoscis, non protinus sequitur, Dei quoque

generationem tibi cognitam et exploratam esse. Si autem tua tibi ignota est, quo tandem modo Dei generatio tibi nota erit? Quanto enim difficilius est Dei naturam, quam hominis indagare, tanto quoque difficilius percipi potest superna illa et divina generatio, quam tua. Quod si, quia eam cognitione assequi nequis, idcirco ne genitum quidem esse contendis, tempus jam tibi fuerit, multa, quae tu minime percepisti, atque ante omnia Deum quoque ipsum, e rerum natura delere atque obliterare. Neque enim, quid tandem sit, explicare potes, quamlibet audax sis, atque in supervacaneis rebus strenuus et magnanimus. Tuas illas fluxiones, et divisiones, et sectiones prius abjice, ac de incorporea illa natura, quasi de corporea, disputare desine; atque ita fortasse dignum aliquid generatione divina concipere animo queas. Quomodo genitus est? Idem enim indignabundus repeto. Dei generatio silentii honore decoretur. Abunde magnum tibi est scire eum genitum esse. Quo autem modo genitus sit, ne ipsis quidem angelis, nedum tibi intelligere concesserim. Vis declarem quomodo? Ut scit Pater, qui genuit, et Filius qui genitus est. Quod supra haec est, nube obtegitur, animique tui hebetudinem fugit.

9. Sed argutari pergunt. Existentem vel non existentem genuit Pater. O futiles nugas! Haec enim mihi ac tibi conveniunt, qui partim eramus, ut Levi ille, in lumbis Abrahae (Hebr. 7, 9. et seqq.), partim procreati sumus: ac proinde partim ex entibus, partim ex non entibus sumus: contra quam in primigena illa materia accidit, quae haud dubie ex non ente procreata est, utcunque eam nonnulli aeternam esse confingant. At hic generatio cum essentia ipsa concurrit, atque a principio extitit. Ubi ergo anceps illud tuum atque utrinque praeceps argumentum pones? Quid enim eo, quod a principio erat, antiquius esse potest, ut illic tempus collocemus, vel quo erat Filius, vel quo non erat? Utroque enim modo illud *a principio* dissolvetur et evertetur; nisi forte tibi quoque Pater, percunctantibus rursus nobis, ex entibusne, an ex non entibus sit, bis esse periclitetur, alter nimirum praeexistens, alter existens; aut certe propter ludicras tuas interrogationes atque ex arena constructas domos, quae ne levibus quidem ventis resistere possunt, idem ei, quod Filio, accidat, hoc est, ex non ente sit. Ego quidem neutrum horum admitto, quaestionemque hanc tuam absurditatis multum, difficultatis nihil habere ajo. Quod si

tu juxta tuas dialecticas sententias in omni argumento alterutram disjunctionem veram esse oportere existimas, parvam quandam interrogatiunculam a me accipe. Tempus estne in tempore, annon? Si in tempore, quo tandem? Quidque supra hoc existente? Ac quomodo hoc continente? Si autem non in tempore, quae haec eximia sapientia, tempus temporis expers inducere? Age, hujus sermonis, *Nunc ego mentior*, da alterum, aut duntaxat verum esse, aut falsum; non enim utrumque dabimus. Atqui nullo modo hoc fieri potest. Vel enim mentiens verum dicet, vel mentietur verum dicens. Ita prorsus necesse est. Quid igitur mirum, si quemadmodum hic contraria concurrunt, ita etiam illic utraque pars a vero aberret, atque ita scituin illud et eruditum tuum argumentum stultum atque ineptum appareat? Ac velim mihi hoc etiam aenigma solvas. Aderasne tibi cum gignereris? Adesne etiam nunc tibi? An neutrum horum? Si enim aderas et ades, quisnam tandem et cui? Et quomodo unus duo effectus es? Si autem neutrum horum quae diximus, quomodo a te ipso disjungeris? Et quae disjunctionis hujusce causa? Sed ineptum est, inquies, cum de uno disputatur, adsit ne tibi, necne, curiosius inquirere. Haec

enim de aliis, non de se ipso dicuntur. Ineptius, mihi crede, est id, quod a principio erat, utrum ante generationem erat, necne, in quaestionem vocare. Haec enim disputatio iis demum convenit, quae tempore dividi possunt [1]).

10. At enim, inquiunt, non idem sunt genitum et ingenitum; ac proinde nec Filius cum Patre idem est. Quid opus est dicere, hoc argumento vel Patrem, vel Filium a divinitate manifeste submoveri? Si enim ingenitum essentia Dei est, profecto genitum essentia non erit: aut si hoc, procul dubio non illud. Quis enim est qui contrarium dis-

---

1) Ingeniose eludit s. doctor dilemma propositum, propositis similibus quaestionibus, ad quas non statim patet responsio. Directe dein respondet negans suppositum. Quaestio enim proposita supponit in generatione divina dari prius et posterius, adeo ut Deus genuerit filium, qui prius non existeret: cum autem generatio divina aeternitatis perfectionem possideat, proinde omnem excludat successionem, quaestio haec non est ad rem. Quare dicendum est Patrem talem genuisse Filium qualis ipse est: porro Pater semper existit estque aeternus, ergo et Filium genuit semper existentem atque aeternum. Pater enim concipi nequit citra suam ad Filium relationem: sed ipse ab aeterno est Pater, ergo et ab aeterno hanc includit relationem: ac proinde tam aeternus est Filius, quam ipse Pater.

putando tueri queat? Quamobrem, utram e duabus impietatibus malis, elige, o nove theologe, siquidem impiam doctrinam omnino amplecti tibi propositum est. Deinde, quomodo ingenitum et genitum non idem esse dicis? Si per haec verba nihil aliud intelligis, quam id quod increatum et quod creatum, in eadem ipse quoque sum sententia. Neque enim natura idem est quod principio caret, et quod procreatum est. Sin autem his verbis eum, qui genuit, et eum, qui genitus est, accipis, haudquaquam recte id abs te dicitur. Idem enim omnino esse necesse est. Haec quippe geniti natura est, ut idem, si naturam spectes, sit cum eo qui genuit. Vel ad hunc rursus modum agamus: Quid per ingenitum ac genitum intelligis? Si ipsam ingeniti et geniti proprietatem, non idem sunt. Sin autem ea, quibus haec insunt, quid vetat quominus idem sint [1])? Quandoquidem quod insipiens est et sapiens, inter se quidem non idem sunt; verum circa eumdem hominem considerantur: nec substantias scindunt, sed

1) *Idem sint* scil. circa naturam. Esse genitum et ingenitum sunt differentiae personales, non essentiales: sicut esse sapientem vel insipientem inter homines, non diversam specie naturam demonstrant, sed diversas personas.

circa eamdem substantiam scinduntur. Quid? An etiam immortalitas, et innocentia et immutabilitas essentia Dei sunt? At si ita est, multae Dei essentiae erunt, non una: aut certe compositus ex his Deus erit. Neque enim haec citra compositionem esse queunt, si modo essentiae sunt.

11. Haec quidem haud dicunt. Communia quippe aliorum quoque sunt. Quod autem solius Dei est, ipsique proprie convenit, hoc ipsi essentia est. Atqui solius Dei ingenitum esse, minime illi concesserint, qui materiam quoque et formam ut ingenitas induxerunt. Manichaeorum enim tenebras longius adhuc projiciamus. Sed sit sane solius Dei ingenitum. Quid Adam? Nonne solus a Deo effictus est? Maxime, inquies. Utrum ergo solus quoque homo? Minime. Quare? Quia effictio humanitas non est. Nam is quoque, qui progenitus est, homo est. Eodem modo nec ingenitum solum Deus est, etsi solius Patris. Verum admitte etiam eum, qui genitus est, Deum esse. Ex Deo quippe est, quamlibet tu ingenito faveas. Ad haec quomodo Dei essentiam dicis, non ejus, quod est, positionem, sed ejus, quod non est, detractionem? Vox enim *ingeniti* significat eum quidem generationis expertem esse, non autem declarat quidnam natura sua

sit id, quod generatione caret. Quaenam ergo est Dei essentia? Tuae est dementiae hoc dicere, qui generationem quoque ipsam anxie perscrutaris: nobis autem abunde magnum atque amplum fuerit, si in posterum quoque discamus (1. Joan. 3, 2) soluta videlicet hac caligine et crassitie, ut pollicitus est iis, qui non mentitur (Tit. 1, 2). Ergo hoc ab his, qui ad eam rem sese perpurgant, cogitetur ac speretur. Nos autem hoc duntaxat dicere non dubitabimus, si magnum Patri est a nullo profectum esse, non minus illustre Filio esse, ex tali Patre prodiisse. Nam praeterquam quod gloriae illius, qui causam a nullo habet, particeps est, quia ex eo est, accedit etiam generationis decus, res tanta tamque veneranda, iis utique, qui non omnino humi provoluti sunt crassoque animo praediti.

12. Sed si Filius, inquiunt, essentiae ratione idem cum Patre est, profecto, cum ingenitus sit Pater, ingenitus quoque Filius erit. Recte, si ingenitum essentia Dei esset, ut sic nova quaedam mixtio esset genito-ingenitum [1]). Cum autem hoc discrimen circa

---

1) *Genito – ingenitum* γεννητοαγέννητον. Si ingenitum Dei essentia esset, Filius utpote genitus vi generationis acciperet Patris essentiam, proinde quia essentia Patris ingenitum esse supponitur, acciperet

essentiam consideretur, quid tu hoc quasi firmum quiddam profers? An tu quoque patris pater es, ut nulla re a patre tuo supereris, quandoquidem essentia idem cum eo es? Nonne perspicuum est, proprietate fixa et stabili permanente, quaerendum nobis esse quae sit Dei essentia, si tamen ea ullo modo quaerenda est? Quod autem ingenitum et Deus idem non sint, hinc fere intelliges. Si enim idem essent, prorsus oporteret, quoniam Deus quorundam Deus est, quorundam quoque ingenitum esse: aut contra, quoniam ingenitum nullius est, nec Deum quoque quorundam esse. Nam quae omnino eadem sunt, similiter etiam efferuntur. At ingenitum non quorundam est (quorum enim?), Deus vero quorundam Deus est (omnium quippe). Quo ergo modo idem erunt Deus et ingenitum? Ac rursus, quoniam ingenitum et genitum inter se opponuntur, ut habitus et privatio, substantias quoque inter se oppositas induci

---

etiam τὸ ingenitum esse, sed mixtum cum geniti proprietate, quia utpote Filius genitus est. Hoc vero non obtinere ostendit s. doctor, quod ingenitum esse non sit ipsa substantia, sed consideretur circa substantiam velut sustantiae modus, qui si deest in Filio, substantiam non mutat. Est enim proprietas stabilis Patris qua Pater et a Filio distinctus, non qua Deus est.

necesse est, quod nemo concesserit. Aut rursus, quoniam habitus privationibus priores sunt, ac privationes habitus ipsos exstinguunt, non solum antiquior erit Filii essentia, quam Patris, sed etiam, juxta hypotheses tuas, a Patre exstinguetur ac de medio tolletur [1]).

13. Quid adhuc superest ex ineluctabilibus ipsorum, ut putant, argumentis? Fortasse ad illud postremum confugient. Si Deus gignendi finem non fecit, imperfecta est generatio. Et quando finem facturus est? Si autem gignere cessavit, omnino quoque coepit. Sic rursus crassi et corporis rebus affixi homines corporeas ratiocinationes afferunt. Ego vero sic respondeo: Sempiternumne sit Filio nasci, necne, nondum dico, quoadusque illud Scripturae: *Ante omnes colles gignit me* (Prov. 8, 25), accuratius expendero. Illud autem non video, quam necessarium sit hoc eorum argumentum. Si enim, ut ipsi ajunt, aliquando id coepit, quod finem habiturum

---

1) Haec vera sunt, si ingenitum esse veri nominis esset privatio: privatio enim praesupponit formam, qua privat. Sed alii negant ingenitum esse privationem, tuentes eo enunciari negationem. Ceterum de his subtilioribus patrum responsionibus ad aëtianorum naenias occasione hujus nominis propositas cf. Petavium de Trinit. l. 5. c. 2. s.

est, profecto id non coepit, quod finem non est habiturum. Quid ergo de anima vel de angelica natura pronunciabunt? Si principium habuit, finem quoque habebit: si autem fine carebit, secundum eos utique principio quoque hanc caruisse constat. Atqui et principium habuit, nec unquam esse desinet. Falsum est itaque quod ajunt, id, quod finem habiturum est, principium quoque habuisse. Enim vero doctrina nostra haec est: ut equi, et bovis, et hominis, ac denique uniuscujusque earum rerum, quae sub idem genus cadunt, eadem est definitio; ac quidquid definitionis hujusce particeps est, hoc etiam proprie dicitur: quidquid autem particeps non est, hoc vel non dicitur, vel certe improprie dicitur: eodem modo unam quoque Dei essentiam, et naturam, et appellationem esse, tametsi per cogitationes quasdam distinctas nomina quoque simul distinguantur [1]): et

1) Scil. una est Dei natura, non alia atque alia in distinctis personis, licet in Deo varia attributa et proprietates κατ' ἐπίνοιαν distinguantur. Hinc qui proprie Deus dicitur, ut Filius, eandem quoque cum Patre habebit naturam, quia non sunt diversae naturae divinae, sicut nec diversae naturae humanae: et qui eandem cum Patre habet naturam (ut Filius a Patre genitus) proprie dicendus erit Deus.

quod quidem proprie dicitur, id etiam Deum esse; et rursus quod natura sua sit, hoc quoque proprie nuncupari: siquidem non in nudis nominibus, sed in rebus nobis veritas sita est. At isti perinde ac pertimescant, ne quid adversus veritatem immotum relinquant, Deum quidem Filium esse fatentur, cum Scripturae ac auctoritatum testimoniis opprimantur; sed aequivoce Deum dici, ac nominis solius participem esse contendunt.

14. Cum autem hanc ipsis objectionem subjicimus: Quid ergo? non proprie Deus est Filius, quemadmodum id quod pictum est, non est animal? Quomodo ergo Deus, si Deus proprie non est? Respondent: Quid prohibet quominus et haec aequivoca [1]) sint, et proprie utrumque dicatur? Ac nobis et terrestrem et marinum canem proferent, qui cum sub eodem nomine diversam significationem habeant, proprie tamen dicuntur. (Est enim hujusmodi quoque species quaedam inter aequivoca; et si quid aliud, quod eadem appellatione utatur, ejusque peraeque particeps sit, cum interim naturae ratione dissi-

---

1) *Aequivoca* scil. diversae significationis, ita tamen ut utrumque proprie illis conveniat, de quibus ejusmodi nomina aequivoca dicuntur.

deat.) At, vir optime, cum illic duas naturas sub eadem appellatione collocas, neutram altera praestantiorem introducis; nec alteram priorem, alteram posteriorem; nec denique alteram quae magis, alteram quae minus sit id quod esse dicitur. Neque enim quidquam conjunctum est, quod hanc ipsis necessitatem afferat. Non enim hic canis magis canis est, quam ille canis, hoc est, marinus magis quam terrestris, vel contra, terrestris magis quam marinus; cur enim, aut qua ratione? Sed in rebus, diversis quidem illis, verum pari honore praeditis communis est appellatio. Hic vero, cum Deo venerationem adjungas, eumque supra omnem essentiam et naturam esse dicas (quod Dei solius est, et velut Divinitatis natura), ac deinde Patri quidem hoc tribuas, Filium autem prives atque subjicias, secundasque illi honoris et adorationis partes assignes, quamvis verborum syllabis aequalitatem ipsi largiaris, re ipsa tamen Divinitatem ei amputas, ac veteratorie ab hoc homonymiae genere, quod aequalitatem complectitur, ad genus illud transis, quod res aequales minime connectit. Ac proinde, ut quidem argumentari instituis, pictus ille ac vivus homo ad Divinitatem adumbrandam propius accedunt, quam canes, quos exempli

causa proposuisti. Alioqui utrique, ut nomen commune, sic etiam parem naturae dignitatem tribue, etiamsi diversas eas inducis; atque ita canes illos tuos deleveris, quos ad probandam Patris ac Filii inaequalitatem excogitasti. Quis enim homonymiae fructus, si dignitate pares sint, qui a te dividuntur? Nec enim, ut eos honore aequales, sed ut dispares ostenderes, ad homonymiam illam et canes confugisti. Quonam modo quispiam magis convinci queat, et secum ipse et cum Divinitate pugnare?

15. Jam si dicentibus nobis Patrem, quantum ad causam, Filio majorem esse, ipsi hanc propositionem assumant: At causa natura; posteaque conclusionem hanc subnectant: Ergo major natura; haud scio, se ipsosne potius, an eos, cum quibus disputant, captiosa hac argumentatione circumveniant. Neque enim simpliciter quaecunque de aliquo dicuntur, etiam de eo, quod ipsi subjectum est, dicuntur; sed perspicuum est de quo et quaenam dicantur. Alioqui quid prohibet quominus ipse quoque allata hac propositione: Pater major natura est; ac deinde assumpta altera: natura autem non omnino major, neque Pater; ita postremo concludam: Majus igitur non omnino majus; vel, Pater

non omnino Pater. Aut si mavis, ad hunc modum agam: Deus est essentia: essentia non omnino est Deus; quod sequitur ipse conclude: Ergo Deus non omnino Deus. Verum, ni fallor, ab eo, quod secundum rationem quandam dicitur, ad id quod simpliciter dicitur, captiose progreditur haec argumentatio, quod artis hujus studiosis usitatum est et familiare. Non cum nos hanc vocem *majus* causae naturae tribuamus, inferunt ipsi causam natura majorem esse. Quod perinde est, ac si dicentibus nobis: Hic mortuus homo; inferrent ipsi: Ergo homo [1]).

16. Quomodo autem istud, quod certe non

---

1) *Ergo homo.* Sophisma scil. est, si quis quod de homine sub certo quodam respectu, secundum quid convenit, absolute et simpliciter de eo affirmet. Ut si quis aethiopem eo quod secundum quid est albus, albos enim habet dentes, simpliciter album dicat. Ita etiam captiosa est argumentatio, si quis aliquid simpliciter et proinde secundum essentiam altero majus affirmet, eo quod secundum quid scil. sub ratione principii habeat quandam dignitatem (ἀξίωμα) prae alio. Ita quamvis inter homines pater qua pater quandam prae filio habeat praecellentiam, hanc tamen non habet secundum naturam humanam, neque enim pater major homo est filio. Proinde etiam Pater aeternus, quamvis ἀξίωμα habeat principii prae Filio, natura non est major Filio, ut contendebant eunomiani, contra quos agit Gregorius.

minori admiratione dignum est, quam quae superius dicta sunt, praetermittemus? Pater, inquiunt, vel essentiae, vel actionis nomen est: sic enim nos utrinque ita astrictos putant, ut nulla ratione ex eorum vinculis elabi possimus. Si enim essentiae nomen esse dixerimus, assentiemur, ut existimant, Filium diversam a Patre essentiam habere: quandoquidem una sit Dei essentia, quam Pater, ut censent, jam ante occuparit. Sin autem actionis, creatum esse fatebimur, non genitum. Ubi enim est agens, illic quoque omnino id quod agitur esse necesse est. Ac mirari se dicent, quo pacto factum cum factore idem esse queat. Me quoque ipsum vehementer haec distinctio vestra permoveret, si mihi duorum alterutrum necessario admittendum esset, ac non potius, utraque disjunctionis parte vitata, tertium aliquid verius dicere liceret. Nec enim essentiae nomen est Pater, o viri acutissimi, nec actionis; sed relationem eam indicat, quam Pater erga Filium habet, vel Filius erga Patrem. Ut enim apud nos haec nomina germanam quandam conjunctionem et necessitudinem declarant: ad eundem modum illic quoque Genitorem ac Genitum eandem naturam habere significant. Sed sit sane, in vestri gratiam, Pater essentiae no-

men: Filium utique simul introducet, non autem removebit et alienabit, ut et communes notiones ferunt, et ipsa horum nominum vis ac facultas. Sit etiam actionis, si ita videtur: nec sic quidem causam obtinebitis. Eodem enim modo dicemus hoc ipsum egisse Patrem, ut consubstantialis ipsi Filius esset; etsi alioqui absurditate non caret hujusmodi actionis opinio. Videsne quo pacto, quamlibet improbe ac maligne pugnare studeatis, captiones tamen vestras effugiamus? Quoniam autem invictum illud tuum in ratiocinationibus et argutiis robur cognovimus, videamus jam quam vim in divinis oraculis positam habeas, si modo hinc quoque nobis dogma tuum persuadere non grave ducas.

17. Nos quippe ex magnis et excelsis vocibus Filii divinitatem percepimus ac praedicamus. Quibus tandem? His nimirum, Deus, Verbum, quod in principio erat, et cum principio, et principium: ut in his locis: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. 1, 1): Et, *Tecum principium* (Psal. 109, 3): Et, *Qui vocat eam a generationibus principium* (Isai. 41, 4). Ad haec Filius unigenitus dicitur: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (Joan. 1, 18). Via, Veri-

tas, Vita, Lux: *Ego sum via, veritas et vita*, et, *Ego sum lux mundi* (Id. 14, 6. et 7, 12). Sapientia, Potentia: *Christus Dei potentia et Dei sapientia* (1. Cor. 1, 24). Splendor, Character, Imago, Sigillum, ut in his verbis: *Qui cum sit splendor gloriae* et *Character substantiae ipsius* (Hebr. 1, 3): et, *Imago bonitatis* (Sap. 7, 26): et alio loco: *Quem Pater signavit Deus* (Joan. 6, 37): Dominus, Rex, Ens, Omnipotens: *Pluit Dominus ignem a Domino* (Gen. 19, 24): et, *Virga directionis virga regni tui* (Psal. 44 7): et, *Qui erat, qui est, et qui venturus est, omnipotens ille* (Apoc. 1, 8). Quae perspicue de Filio dicuntur, sicut et alia plura, quae eandem vim habent, quorum nihil ascititium est, nec Filio, aut Spiritui sancto posterius accessit, quemadmodum nec Patri. Neque enim ex accessione perfectio ipsis comparata est. Non enim Pater Verbi unquam expers fuit; nec unquam fuit quin Pater esset; nec denique unquam veritate, sapientia, viribus, vita, splendore aut bonitate caruit.

18. Tu mihi contra, illas ingrati animi tui voces enumera, has videlicet: *Deus meus et Deus vester* (Joan. 20, 17), major (Id. 14, 28), creavit, fecit (Prov. 8, 22, et Act. 2, 36), sanctificavit (Joan. 10, 36); servum etiam

(Isai. 42, 1), si ita lubet, et obedientem (Philip. 2, 8) adjunge; atque haec etiam, dedit (Joan. 18, 9), didicit (Hebr. 5, 8), mandatum est (1. Cor. 15, 28), missus est: illud etiam, quod a se ipso quidquam facere non possit, aut loqui, aut judicare, aut donare, aut velle. Huc adde ignorationem, subjectionem, precem, interrogationem, profectum, consummationem. Adde etiam, si ita placet, quae his adhuc abjectiora sunt: Dormire (Matth. 8, 24), esurire (Id. 4, 2), fatigari (Joan. 4, 6), lacrymari (Id. 11, 35), mortis pavore affici, ac dejecto animo esse (Marc. 14, 33). Fortasse etiam probri causa crucem quoque ipsam et mortem objicies. Resurrectionem enim, ipsiusque in coelum ascensionem, consulto mihi praetermissurus videris: quoniam in his quidpiam, quod causae nostrae faveat, reperitur. Multa etiam alia congerere queas, si componere velis aequivocum illum de tua sententia et ascriptitium Deum, ut autem ipsi statuimus, verum Patrique honore aequalem. Horum enim unumquodque sigillatim persequi, pioque sensu explicari minime difficile est, atque offendiculum illud, quod in literis existit, repurgare et eximere, si modo vere offendis, ac non potius de industria peccas. Ut autem rem summatim contraham, hoc

tibi faciendum est, ut sublimiores voces Divinitati, ac illi naturae passionibus et corpore praestantiori attribuas: humiliores vero composito, et tua causa inanito atque incarnato, imo etiam (non enim minus commode hoc a me dicetur) humanato [1]), ac deinde exaltato, ut tu videlicet, abjecta hac dogmatum humilitate et crassitie, sublimior esse simulque cum Divinitate ascendere, non autem rebus in aspectum cadentibus inhaerescere condiscas, imo potius cum intellectilibus rebus assurgas, atque intelligas, quae naturae ratio, quae ratio incarnationis.

19. Hic enim, quem nunc aspernaris, quondam erat, et supra te erat: qui nunc homo est, compositionis expers erat. Quod erat, permansit: quod non erat, assumpsit. In principio sine causa [2]) erat. Quae enim Dei causa

---

1) Cf. principium primum in annot. opusc. 22, 167.

2) *Sine causa ἀναιτίως*, non sine principio, sed sine causa, quod duplici modo explicari potest. Dei Filius licet sit a principio, non est tamen a proprie dicta causa: neque enim proprie Pater est causa Filii. Deinde Pater non ita motus fuit ad gignendum Filium aliqua ratione et causa, sicut misericordia Dei et nostra miseria ratio et causa extiterunt decernendae incarnationis, neque enim generatio aeterna ex Patris electione pendet, nam ea est naturalis tamque necessaria sicut Deo esse Deum.

afferri queat? At postea quoque certa de causa natus est. Ea autem erat, ut tu, insolens ac proterve, salutem consequereris, qui Deitatem idcirco contemnis, quia crassitiem tuam suscepit, per intermediam mentem [1]) cum carne conjunctus, atque inferior hic homo Deus effectus, posteaquam cum Deo coaluit, praestantiorique parte superante unus factus est, ut ipse quoque tantum Deus efficiar, quan-

---

1) Διὰ μέσου νοὸς, per mentem intermediam. Libenter patres dicunt, Verbum media mente carni fuisse unitum, ut patet ex testimoniis, quae collegerunt Petavius de incarn. l. 4. c. 13. et Thomassinus l. 4. c. 9. §. 18 ss. Tamen haec loquendi ratio non ita accipi debet, ac si Verbum immediate tantum cum anima fuisset unitum ac mediante hac cum corpore, proinde tantum *mediate*. Tenendum enim omnino est, Verbum et animae et corpori immediate fuisse unitum: sed intelligi debet haec formula eo sensu, quem s. Thomas paucis ita expressit (3. p. q. 6. a. 1.): „Secundum ordinem causalitatis ipsa anima est aliqualiter causa carnis uniendae Filio Dei: non enim esset assumptibilis nisi per ordinem, quem habet ad animam rationalem, secundum quem habet quod sit caro humana.“ Scil. dedeceret Dei Filium assumere hypostatice naturam irrationalem: hinc caro, quamvis ea per se sit substantia irrationalis, eatenus tantum a Dei Filio assumi potuit, quatenus in unam concurrit cum anima naturam rationalem: proinde tantum intuitu animae rationalis, quacum unam constituit naturam humanam, assumi poterat a Verbo.

tum ille homo [1]). Natus quidem est, sed etiam genitus erat: ex muliere quidem, sed etiam virgine. Illud humanum, hoc divinum. Patris expers hic, matris expers illic. Utrumque horum Divinitatis est. Materno quidem utero gestatus est, verum a propheta cognitus est (Luc. 1, 41), et quidem in utero adhuc existente atque coram Verbo, cujus causa procreatus fuerat, exsultante. Pannis quidem involutus est (Id. 2, 7), at sepulturae fascias redivivus excussit. In praesepio quidem reclinatus est, ceterum ab angelis celebratus est, et a stella indicatus, et a magis adoratus (Matth. 2, 2). Cur tu ad id, quod oculis cernitur, offendis, dum non id spectas, quod animo et intelligentia percipitur? In Aegyptum quidem pulsus est (Matth. 2, 13): verum aegyptiorum errores in fugam vertit. Non

---

1) Ἵνα γένωμαι τοσοῦτον θεὸς, ὅσον ἐκεῖνος ἄνθρωπος, *ut ipse quoque tantum deus efficiar, quantum ille homo* quae non nimis sunt urgenda, cum Filius factus sit homo per naturam humanam, unde aeque ac nos fuit homo: nos vero non ex aequo reddimur dii, sicut ille fuit Deus, neque enim hypostatice unimur personae divinae, sed tantum per gratiam et quandam unionem moralem consortes reddimur divinae naturae (2. Petr. 1, 4). Ceterum cf. cum hoc n. s. Leonis ep. 28. c. 4 (opusc. 25, 175).

erat illi species neque decor (Isai. 53, 2) apud judaeos: sed apud Davidem, speciosus erat forma prae filiis hominum (Psal. 44, 3), atque etiam in monte, fulguris instar, lucet, ac sole clarior efficitur, futurum videlicet splendorem adumbrans.

20. Baptizatus (Matth. 3, 16) quidem est ut homo: sed peccata sustulit ut Deus; non quod lustrationibus indigeret, sed ut aquis ipsis sanctitatem afferret. Tentatus (Ibid. 4, 1) est ut homo: at victoriam adeptus est ut Deus; verum confidere nos jubet, ut qui mundum vicerit. Fame affectus est (Ibid. 2): sed multa hominum millia aluit (Id. 14, 21), ipseque panis est vivificus ac coelestis (Joan. 6. 41). Siti laboravit (Id. 19, 28), sed clamavit: Si quis sitit, veniat ad me et bibat (Id. 7, 37): atque etiam facturum se pollicitus est, ut qui fide praediti sunt, fontis instar, scaturiant. Fatigatus est (Joan. 4, 6), sed eorum, qui fatigantur atque onerati sunt, est requies (Matth. 11, 28): Somno depressus est (Id. 8, 24): sed in mari levis incedit, ac ventos increpat, Petrumque, cum jam mergeretur, sublevat (Id. 14, 25. et seqq.). Vectigal pendit, sed ex pisce, sed exigentium rex est (Id. 17, 23. et seqq.). Samaritanus vocatur et daemoniacus (Joan. 8, 48): at ei, qui ab

Jerusalem descendens (Luc. 10, 33) in latrones inciderat, salutem affert, atque a daemonibus agnoscitur, et daemones fugat, et spirituum legiones in mare praecipites agit, principemque daemonum quasi fulgur cadentem videt (Id. 10, 18). Lapidibus petitur, sed non arripitur. Orat, sed alios orantes exaudit. Collacrymat (Joan. 11, 24. et seqq.), sed lacrymas sedat. Quaerit ubi positus sit Lazarus, homo enim erat [1]); sed Lazarum a morte ad vitam excitat, Deus enim erat. Venditur et quidem vili pretio, nempe triginta argenteis: sed interim mundum pretio magno (1. Cor. 6, 20), hoc est, cruore suo redemit (1. Petr. 1, 19). Ut ovis ad occisionem ducitur (Ps. 77, 71); verum Israëlem pascit, nunc autem universum quoque terrarum orbem; ut agnus mutus est (Is. 53, 7), sed idem Verbum

1) *Homo enim erat.* Haec non ita sunt accipienda, ac si Christus, quatenus homo erat seu humano intellectu ignoraverit Lazari sepulcrum: hoc certissime noverat: proinde haec ratio adjecta vel ita est intelligenda, quod id ignoraverit vi naturae humanae, quae *ex sese* id nesciebat et nesciebat *scientia acquisita*, sepulcrum enim propriis oculis nondum viderat, (quamvis id sciret scientia infusa), vel quod interrogare idcirco voluit, quod se gerere decreverat more humano, *homo enim erat*, hominis autem est interrogare.

est, illius in deserto clamantis voce (Joan. 1, 23) annunciatum. Languore affectus ac vulneratus est (Isai. 53, 4. 5), verum morbum omnem et languorem pellit (Matth. 9, 35). In lignum tollitur, illicque affigitur, sed nos vitae ligno restituit, sed latronem etiam simul pendentem (Luc. 23, 33. et seqq.) salute afficit, sed id omne, quod cernitur, obtenebrat. Aceto potatur ac felle pascitur: sed quis? Is nempe, qui aquam in vinum commutavit (Joan. 2, 7), atque amarulentum illum gustum sustulit, ipsamet, inquam, dulcedo totusque desiderium (Cant. 5, 16). Animam tradit: sed ejus rursus accipiendae potestatem habet (Joan. 10, 18), sed velum rumpitur (supera enim patefiunt), sed petrae scinduntur, sed mortui resurgunt (Matth. 27, 51. et seqq.); moritur, sed vitam impertitur, ac morte sua mortem exstinguit; sepultura afficitur, sed resurgit. In infernum descendit, sed animas sursum ducit, atque in coelos ascendit, venturusque est ad judicandos vivos et mortuos, et expendendos hujusmodi sermones. Quod si illa tibi erroris ansam afferunt, haec errorem tuum discutiant.

21. Atque haec ad aenigmatum studiosos [1])

---

1) Ad aenigmatum studiosos τοῖς αἰνιγματισταῖς. Forte idcirco ita suos vocat adversarios, quod quae-

a nobis dicta sint, non lubenter quidem (nec enim piis hominibus jucunda est inepta loquacitas verborumque contentio; satis enim superque est unus adversarius), ceterum necessario propter eos, qui in haec incidunt (quandoquidem ob morbos quoque medicamenta comparantur), ut intelligant se non usquequaque sapientes et acutos esse, nec in supervacaneis disputationibus atque Evangelium evacuantibus invicto quodam robore praestare. Cum enim relicta fide vim facultatemque disserendi praetendimus Spiritusque certam auctoritatem per quaestiones delemus [1]), ac postea oratio rerum magnitudini cedit (cedet autem omnino, utpote ab infimo organo, id est, animo nostro proficiscens), quid efficitur? Orationis nimirum imbecilli-

---

stionibus suis periculosis omnem obscurarent fidem christianam.

1) Spiritus certam auctoritatem per quaestiones τὸ τοῦ πνεύματος ἀξιόπιστον ταῖς ζητήσεσι λύσωμεν, ejusmodi quaestiones moventes simplici relicta fide quasi diffidimus Spiritui sancto. . . Ἡ γὰρ πίστις τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου πλήρωσις. Fides nobis sit loco omnis demonstrationis, est enim secundum Paulum ἔλεγχος οὐ βλεπομένων *argumentum non apparentium*: proinde nil melius facere possumus, quam traditum nobis sermonem seu revelationem fide amplecti, seposita omni curiositate ex incredulitate oborta.

tas religioni nostrae ascribitur; atque ita sermonis ornatu et elegantia crucis evacuatio declaratur (1. Cor. 1, 17), quemadmodum ipsi quoque Paulo videtur. Fides quippe doctrinae nostrae complementum est. Qui autem ligata exponit, et nexus dissolvit, ac nobis in mentem induxit, ut violentorum dogmatum obliquitates solveremus, maxime quidem optarim, ut hos immutet, ac pro argutatoribus pios, et pro iis, qui nunc appellantur, christianos efficiat. Hoc autem rogamus, ac pro Christo obsecramus: Reconciliamini Deo, ac Spiritum nolite extinguere; vel potius vobiscum Christus in gratiam redeat, et Spiritus aliquando tandem vobis illucescat. Quod si nimia contendendi libidine flagratis, at nos certe Trinitatem nobis ipsis servemus, atque a Trinitate servemur, manentes puri et inoffensi usque ad perfectiorem eorum, quae cupimus, ostensionem, in ipso Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in secula. Amen.

## ORATIO THEOLOGICA IV [1]).

### De Filio.

### ARGUMENTUM.

I. Haeretici sacras Scripturas ad suum sensum detorquent. II. Prima objectio. Prosopopoeia Scrip-

2) Alias oratio 36 in ed. maur. 30. habita a 380.

turae familiaris. Causa Dei nulla est, causa humanitatis assumptae in Christo hominum salus. III. Filius Dei propter nos servus. IV. Secunda objectio. V. Christi subjectio, paternae voluntatis adimpletio. Christus in cruce, quomodo a Patre derelictus. VI. Christus supplicans pro sua reverentia exauditus est; affectio animi operibus declaratur. Post judicium erit Deus omnia in omnibus. VII. Tertia et quarta objectio. VIII. Responsio ad quartam objectionem. IX. Quinta objectio. X. Sexta objectio. XI. Quae facit Pater, facit Filius. Quo sensu dicatur Filius facere quae facit Pater. XII. Septima objectio. XIII. Octava objectio. XIV. Nona objectio. XV. Decima objectio. XVI. Urget iterum adversarios Gregorius. XVII. Deus nullo nomine exprimi potest. XVIII. Ens et Deus praecipua ac magis propria essentiae Dei nomina. XIX. Nomina Deitati communia. Nomina unicuique personae propria. XX. XXI. Propria Filii nomina.

1. Quoniam tibi ratiocinationum versutias nexusque vi Spiritus abunde discussimus, eas autem a divinis Scripturis petitas objectiones, quibus illi, literae sacrilegi [1]) ac Scripturae sensum suffurantes, plerosque ad suas partes trahunt, ac veritatis viam turbant, summatim quidem perspicueque, ut candidissimo cuique visum iri persuasum habeo, dissolvimus: (dum videlicet sublimiores vo-

1) *Literae sacrilegi* οἱ τοῦ γράμματος ἱερόσυλοι, quatenus scil. sacris Spiritus s. verbis abutuntur, quod certe est sacrilegium.

ces, et quae Deo magis conveniunt, Divinitati attribuimus, humiliores autem, et quae hominis naturae magis congruunt, novo illi nostra causa Adamo ac Deo adversus peccatum patibili:) ceterum, festinante oratione, sigillatim eas haudquaquam prosecuti sumus: ac tu earum quoque solutiones breviter a nobis afferri postulas, ne speciosis et ad persuadendum accommodatis sermonibus in errorem abstraharis: idcirco nos has quoque brevi complectemur, atque, ut facilius memoriae haereant, numeris distinguemus.

2. Illud quidem unum ipsis fere in promptu est [1]): *Dominus creavit me principium via-*

---

1) Hic textus arianorum semper fuit Achilles, quare breviter de ejus lectione et interpretatione quaedam annotabimus. Quod 1. lectionem attinet originalem seu hebraicam, ea citra controversiam est קָנָה, quod significat aliquid *acquirere* emptione, productione (Gen. 14, 19. 22; Ps. 139, 13), hereditate, generatione sive proprie dicta (Gen. 4, 1) sive metaphorice accepta (Deut. 32, 6); et quia quod acquirimus nostrum est, hinc significat *possidere*. Cf. Patritii de interpret. s. script. l. 2. q. 2. n. 8. — 2. Lectio graeca septuaginta interpretum est ἔκτισε *creavit:* occurrit tamen et alia, quae respondet textui hebraico et vulgatae *Dominus possedit me*, scil. ἐκτήσατο, ita in versione Symmachi, Aquilae et Theodotionis. Cf. etiam Basilium l. 2. contra Eunomium n.

*rum suarum ad opera sua* (Prov. 8, 22). Cui argumento quo tandem modo occurre-

---

20. et Nyssenum pariter c. Eunomium; imo Eusebius ipse de eccl. theol. l. 3. c. 2. testatur, neminem aliorum interpretum vertisse ἔκτισε, sed ἐκτήσατο, hinc s. Hieronymus lectionem illam reprehendit ad Isai. 26, 13. Tamen vix credibile est, eam ab arianis primum fuisse inductam, cum a. ea reperiatur penes plures patres, et penes eos quoque, qui contra arianos pugnarunt: cum ea b. reperiatur in versionibus aethiopica, arabica, syriaca, paraphrasi chaldaica et etiam in vetere latina: cum c. ea jam inveniatur apud patres, qui arianas praecesserunt controversias, ut Irenaeum l. 4. c. 37. — 3. Vulgata nostra vertit: *Dominus possedit me* (Sapientiam) *in initio viarum suarum.* Vetustissimi tamen patres latini legebant: *Dominus condidit me*, ita Tertullianus c. Hermogenem c. 18; adversus Praxeam cc. 6. 7; s. Cyprianus l. 2. testimoniorum c. 1.; Lactantius instit. l. 4. c. 6; Ambrosius de interpell. Job. l. 3. c. 2. n. 6: *Dominus creavit me*; iterum s. 5. in Ps. 118. n. 25. Hieronymus vero affirmat in Is. 26, 13: „quaedam exemplaria male pro *possessione* habere *creaturam.*“ Cf. Sabatier ad vet. Italam; Vezzosi in annot. ad op. card. Thomasii 1, 154. ss. — Quod 4. hujus loci interpretationem attinet, ea omnino est varia. Praecipuas sententias s. Gregorius hic attingit. Alii a. haec non referunt ad *sapientiam hypostaticam* seu ad personam Filii seu intelligunt „de sapientia in mundo apparente,“ quae per figuram prosopopoiae hic loquens inducitur; ita plus minus interpretes judaei, Clericus in annot. ad Petavium de Trin. l. 2. c.

mus? Num Salomonem accusabimus? Num pristina ipsius dicta ob postremum ipsius

---

1. § 2. Nec dissentit Petavius l. c. § 11., ubi inter alia scribit: „Quocirca magis est, ut creatam sapientiam cum nonnullis patrum istic intelligas, hoc est prudentiam et scientiam, quae futura disponit, quaeque in omni hominum vita dominatur, quam aeternam et increatam, nisi quatenus haec ad externorum molitionem operum ac gubernationem demittitur etc.“ Recentioribus praetermissis ex patribus cf. Athanasium or. 2. c. arianos n. 78. ss., Basilium hom. 12. in princ. Prov. et Augustinum, qui s. 246. in appendice al. 58. de verbis Domini sec. Joan. scribit (si tamen ejus est hic sermo) n. 1.: „Multi quidem doctissimi viri hoc ex persona illius sapientiae dictum asserunt, quam Salomo ad judicandum regendumque populum acceperat.“ Alii b. haec dicta censent de Sapientia hypostatica, imo teste Petavio l. 2. c. 1. § 3. major patrum pars hanc in sententiam abiit. Ab eorum testimoniis afferendis in re certissima abstinebimus. Hinc Patritius l. c. n. 10: „Patres, qui Sapientiam hanc a Salomone commemoratam sensere divinam personam esse, habes plurimos, ad quos enumerandos vix pagina sufficeret: ab Athenagora enim ad Augustinum plus quam viginti recenseas.“ Sed Dionysius romanus apud Athanasium de decr. nic. syn. n. 26. haec ita explicat: „Non una est, ut scitis, verbi ἔκτισε significatio. Nam hoc in loco ἔκτισε idem est quod ἐπέστησε praefecit operibus ab ipso factis.“ Plerique vero, qui legebant ἔκτισε haec intelligebant de Verbo secundum humanam naturam. — Jam vero 5. nulla est difficultas hisce in verbis si textum sequamur hebraicum, quem fidelius

lapsum abrogabimus? Num ipsiusmet sapientiae ac velut scientiae artificisque ratio-

---

reddidit vulgata, quam versio alexandrina: eoque magis est haec versio retinenda, quod et septuaginta interpretes verbum קָנָה semper reddant verbo κτάομαι *possideo*, exceptis tribus vicibus, nam bis illud vertunt verbo κτίζω, semel verbo γεννάω. Confirmatur haec versio collatione cum Gen. 4, 1. ubi Eva dicit de filio suo Cain: *Possedi* קָנִיתִי *hominem per Deum:* sed et hic est sermo de eo, qui toties dicitur Filius Dei (hoc saltem concedunt ariani), imo et genitus Ps. 2, 7., ergo ratione hujus paralellismi apte redditur hic locus: *Dominus possedit me.* Nulla quoque est difficultas, si retenta lectione graeca haec intelligantur de Verbo secundum naturam humanam. Verum 6. etiamsi retineatur lectio graeca eaque intelligatur de Verbo non secundum naturam humanam, non propterea desperata est dogmatis catholici causa. Semper enim prae oculis haberi debet, verbum κτίζω non ita esse explicandum, ut adversetur subjectae materiae (cf. Athanasium or. 2. c. arianos n. 3), contextui et Scripturarum analogiae, praesertim si textus originalis aliam quoque admittat interpretationem. Jam vero aliunde certo constat, Verbum esse Deum, esse vere proprieque genitum, quod vel hoc in loco significatur v. 25: πρὸ τῶν ὀρῃ ἑδρασθῆναι, πρὸ δὲ πάντων βουνῶν γεννᾷ με Antequam montes collocarentur, et ante omnes colles generat me: et vox קָנָה de ea productione intelligi potest, quae est per generationem. Ergo verbum κτίζω accipi necessario non debet significatione specifica, sed accipi potest gene-

nis, secundum quam omnia condita sunt, hunc sermonem esse dicemus? Pleraque enim

---

rica vel minus usitata. Repetere hic licet praeclara s. Ephraemi verba, quae etiam in hac hypothesi valent, licet ipse haec verba Prov. 8, 22. de Christo secundum humanam naturam intelligat. Ita enim habet in hymnis de fide apud Assemani (Bibl. orient. 1, 111) in verba *Dominus creavit me:* „Nomen proprium ubique recurrit, appellativum et ascititium bis terve ad summum auditur. Agedum et supputa: reperies in uno dumtaxat Proverbio creaturam a Salomone dici Dei Sapientiam. Alia contra nomina accurate supputa: audies a Patre in omnibus prodigiis, a prophetis in omnibus linguis, ab apostolis in omnibus vocibus, a daemonibus denique in omnibus suppliciis filium uno ore praedicari. Quae quum ita sint, quis non credat Verbum esse filium? Quis in contumaces et contentiosos non excandescat?“ Ceterum 7. patres qui legebant ἔκτισε vel condidit, quique haec verba accipiebant de Filio secundum divinam naturam, ingeniose nituntur exponere, quomodo hoc verbum de Filio intelligi possit vel debeat. Advertunt enim, opportune admodum promiscue adhiberi de Verbo verba κτίζειν et γεννᾶν, cum se mutuo expoliant atque explicent. Sicut enim verbum γεννᾶν removet a Filio productionem seu creationem ex nihilo atque consubstantialitatem significat, ita verbum κτίζω exprimit Verbi subsistentiam negatque illud esse inane, evanidum, προσφόρικον tantum: removet a divina generatione omnem corruptionem, passionem, mutationem. Hinc Hilarius de synodis n. 17: „Sed quia Filius Dei non corporalis partitudinis est genitus exemplo, sed ex perfecto Deo perfectus Deus natus est, idcirco

ex his, quae anima carent, Scriptura per prosopopoeiam loquentia inducere consuevit, juxta illud: *Mare haec, atque illa dixit* (Job. 28, 14). Et, *Abyssus dixit*: *Non est in me.* Et, *Coeli enarrant gloriam Dei* (Psal. 18, 2). Et rursus frameae (Zach. 13, 17) aliquid imperatur, et montes ac colles exsultationis (Psal. 113, 4) causam exposcuntur. Horum nihil proferre libet, etiamsi alioqui a nonnullis eorum, qui ante nos exstiterunt, pro firmis et validis allata sunt. Sed demus hoc sane Salvatoris ipsius, hoc est, verae Sapientiae, haec verba esse. Illud vero aliquantisper una consideremus. Quid est ex omnibus rebus quod causae sit expers? Divinitas. Nemo enim est, qui Dei causam

---

ait creatam se esse Sapientia, omnem in generatione sua naturam corporalis passionis excludens. At vero ut ostenderet non creationis in se sed nativitatis esse naturam, subjecit et *genitam*: ut cum creatam se et genitam confitetur, absolutam nativitatis suae intelligentiam praestaret, dum et indemutabilem Patris naturam in creatione significat, et legitimam ac propriam ex Deo Patre genitae naturae suae ostendit esse substantiam. Atque ita perfectae nativitatis intelligentiam creationis et generationis attulit sermo, cum alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturae est.« Cf. s. Thomam, qui 1. p. q. 41. a. 3. ad 4. praecipua, quae ad hanc spectant difficultatem, paucis complectitur.

dicere queat: alioqui id Deo antiquius esset. Quae autem humanitatis a Deo propter nos susceptae causa extitit? Profecto ut nobis salus pareretur. Quid enim aliud causae afferri possit? Ergo quoniam hic aperte, *Et creavit*, et *gignit me*, reperimus, hoc simpliciter dictum censeamus. Quod enim cum causa conjunctum invenimus, id humanitati assignandum est; quod autem simplex causaeque expers, Divinitati ascribendum. Age igitur, annon illud *creavit* annexam causam habet? *Creavit enim me*, inquit, *principium viarum suarum ad opera sua* (Prov. 8, 22). Opera autem ipsius, veritas et judicium (Psal. 110, 7), quorum causa Divinitate unctus est. Haec enim humanitatis unctio est. At illud *gignit me*, causam non habet. Alioqui ostende quidnam ipsi adjunctum sit. Quis igitur inficias ibit, quin Sapientia, secundum inferiorem quidem generationem creata, secundum autem primam illam magisque incomprehensibilem genita dicatur?

3. Huic velut consectarium est, quod etiam servus (Isai. 49, 5) dicitur, et multis (Id. 53, 11) bene serviens; illudque item, quod magnum atque amplum ipsi sit Filium Dei vocari (Luc. 1, 35). Haud dubie quippe carni, et generationi, et affectionibus nostris liber-

tatis nostrae causa servivit [1]), ac denique omnibus illis, per quae eos, qui a peccato detinebantur, in salutem asseruit. Quid autem majus et honorificentius hominis humilitati contingere queat, quam Deo copulari, atque ex illa mixtione Deum effici, tantumque ab Oriente ex alto visitari (Luc. 1, 78), ut illud etiam sanctum, quod gignebatur, Altissimi Filius (Id. 1, 32) vocaretur, eoque nomine donaretur, quod est super omne nomen (Philip. 2, 9)? Quod porro aliud nomen illud est, quam Deus? Atque istud, omne genu ante eum flectatur (Ibid. 10), qui nostra causa exinanitus est, ac divinam imaginem servili formae conjunxit, *sciatque omnis domus Israël, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus* (Act. 2, 36). Haec enim factus est opera quidem ejus, qui genitus est [2]), bona autem voluntate Genitoris.

4. Quid secundo loco, tamquam maximi atque invicti cujusdam roboris, opponunt? Oportet enim illum regnare (1. Cor. 15, 25) huc usque, et a coelo suscipi usque ad resti-

---

1) *Servivit*, ἐδούλευσε, se subjecit, haec in se suscepit.

2) *Opera quidem ejus, qui genitus est.* Verbum sibi ipsi aedificavit domum seu humanam naturam eamque sibi univit.

tutionis tempora (Act. 3, 21), et a dextris sedere (Psal. 109, 1), donec hostes in potestatem redegerit. Quid vero postea? Regnandi finem facere, aut e coelis expelli? Et quisnam, obsecro, eum e regno ejiciet? Aut quam ob causam? Quam audax enarrator es, nimiumque a regio jugo abhorrens! At regni illius nullum finem fore (Luc. 1, 32) audis. Verum haec tibi erroris causa est, quod non intelligis hanc vocem ἕως (id est, usque dum) non semper futuro tempori opponi, sed ita interjectum tempus statuere, ut interim sequens tempus non excludat [1]). Nam nisi ita res se habeat, quonam modo illud, ut alia praeteream, intelliges: *Ero vobiscum usque ad consummationem seculi* (Matth. 28, 20)? An quasi postea minime futurus sit? Et quae haec ratio esset? Nec vero hac solum de causa in errorem incidis, sed etiam quia significationes ipsas non distinguis. Regnare enim duplici modo dicitur, uno, ut Omnipotens ac volentium nolentiumque rex: altero, ut subjectionem in nobis gignens, et sub imperium suum ac ditionem nos redigens, utpote qui

1) Cf. quae de particulis *donec* et *usque* scribit Hieronymus l. adversus Helvidium opusc. 12, 258 ss. et quae de 1. Cor. 15, 25. advertimus in annot. opusc. 22, 168.

lubenter ipsius regno colla submittimus. Quod ergo ad priorem significationem attinet, regni ipsius finis nullus erit. Quod autem ad secundam, quis erit finis? Ut nos subjectos teneat servetque. Quid enim opus erit subjectionem in nobis moliri, cum jam ipsi subjecti fuerimus? Quod postquam effecerit, surrecturus est ad judicium de terra ferendum, et secernendos eos, qui salutem consequuntur, ab iis qui pereunt; stabitque Deus in medio deorum (Psal. 81, 1), hoc est, beatorum hominum, ut dijudicet ac distinguat, quo quisque honoris gradu, quaque mansione dignus sit.

5. Huic subjectionem quoque istam adjunge, qua Filium Patri subjicis. Quid ais, quasi jam nunc subjectus non sit (1. Cor. 15, 28)? Aut etiam omnino opus est, ut Deo subjiciatur, qui et ipse Deus est? Ergo quasi de latrone quodam, aut Dei hoste, verba facis. Verum ita rem expende. Quemadmodum salutis meae causa maledictum (Gal. 3, 13) vocatus est, qui maledictionem meam solvit; et peccatum (2. Cor. 5, 21), qui mundi peccatum delet; ac pro veteri Adamo novus Adamus efficitur (1. Cor. 15, 45): ad eundem quoque modum contumaciam et rebellionem meam sibi asciscit, ut totius corporis caput.

Proinde quamdiu inobediens ipse sum ac turbulentus, tum per Dei abnegationem, tum per vitiosas animi permotiones, tamdiu inobediens quoque, quantum ad me attinet, Christus dicitur. Cum autem ei omnia subjecta fuerint (subjicientur autem et per agnitionem et per immutationem), tum ipse quoque subjectionem impleverit, adducens me salutem consecutum. Nec enim quidquam aliud est, mea quidem sententia, Christi subjectio, quam paternae voluntatis expletio. Subjicit autem et Filius Patri, et vicissim Filio Pater: ille opera sua, hic beneplacito, quemadmodum ante a nobis dictum est. Atque ita eos, qui subjecti sunt, Deo sistit ac repraesentat is, qui subjecit, nostra videlicet sibi vindicans. Eodem in genere mihi illud quoque esse videtur: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti* (Psal. 21, 1)? Neque enim, quod quidam opinantur, ipse vel a Patre, vel a sua Divinitate, quasi passionem extimuisset, ac propterea sese a perpetiente corpore collegisset, derelictus est. (Quis enim eum, vel primum humanitus gigni, vel in crucem ascendere coëgit?) Verum in se ipso, ut dictum est, nostra repraesentavit. Nos enim eramus derelicti illi prius atque contempti; nunc vero per impatibilis illius passiones assumpti

ac servati sumus; quemadmodum nostram quoque insipientiam ac peccatum sibi arrogavit, ut ea, quae deinceps in Psalmo sequuntur, pronunciant. Siquidem vigesimus primus Psalmus manifeste ad Christum refertur.

6. Ejusdem speculationis illud etiam est, quod ex his, quae passus est, obedientiam didicit; quod cum clamore et lacrymis supplicarit; quod exauditus sit pro sua reverentia (Hebr. 5, 8. 7); quae omnia nomine nostro mirabiliter efficiuntur et contexuntur. Nam ut Verbum nec obediens erat, nec inobediens. Haec namque iis, qui aliorum imperio tenentur, quique secundae classis sunt, conveniunt; illud scilicet, probis atque honestis, istud vero, improbis ac supplicio dignis. Ut autem servi forma ad conservos, imo ad servos sese demittit, atque alienam formam suscipit, totum me simul cum iis quae mea sunt, in se ipso ferens, ut, quod deterius est, in se ipso absumat et conficiat, non secus ac ceram ignis, aut terrae vaporem solis radius, atque ipse ob hujusmodi conjunctionem bonorum illius particeps fiam. Quocirca reipsa obedientiam honore afficit, eamque perpetiendis doloribus experitur. Neque enim sufficiebat animi affectio, quemadmodum nec nobis, nisi manum quoque operibus admoveamus. Opus

enim affectionis animi declaratio est. Nec forte pejus fuerit existimare, quod obedientiam nostram exploret, passionibusque suis omnia metiatur arte quadam humanitatis et benevolentiae erga genus nostrum [1]); ita ut ex suis nostra aestimare queat, quantumque et a nobis exigi, et condonari debeat, expensa nimirum cum passionibus virium nostrarum imbecillitate. Nam cum lucem illam, propter corporis tegumentum, in tenebris, hoc est, in hac vita, lucentem tenebrae aliae, hoc est, pravus ille ac tentator insectatus sit; quanto magis tenebras ipsas, utpote infirmiores? Et quid mirum, si cum ille hostiles laqueos omnino effugerit, nos quadantenus saltem comprehendamur? Majus quippe illi est [2]), quod hostis eum persecutus sit, quam nobis, quod nos assequatur atque comprehendat, apud eos utique, qui haec recta ratione perpendunt. Addam illud quoque iis, quae dicta sunt, locum hunc mecum reputans: *In quo enim passus est, ipse tentatus, potest iis, qui tentantur, auxiliari* (Hebr. 2, 18), quod per-

1) Permittit Nazianzenus ut verba objecta Hebr. 5, 8. ita etiam intelligamus, Christum in se suscepisse obedientiam, passiones etc., ut quasi propria experientia disceret, quid valeat natura humana.

2) Majus quippe illi est i. e. magis nos mirari oportet.

spicue ad eundem sensum tendit. Sicut etiam: *Erit autem Deus omnia in omnibus* (1. Cor. 15,28) illo restitutionis tempore [1]);non utique Pater, resoluto videlicet in ipsum Filio, non secus ac si fax aliqua ad aliquod tempus ab ingenti rogo abstracta, in eum rursus adjungatur (neque enim sabelliani his verbis abutantur), sed totus Deus; tum nempe, cum jam non multi erimus, sicut nunc sumus ratione motuum et affectionum, nihil omnino Dei gestantes in nobis, aut saltem parum, sed toti deiformes, totiusque ac solius Dei capaces. Haec enim ea perfectio est, ad quam omni celeritate properamus; quod quidem Paulus ipse maxime conjicit. Quod enim hic de Deo indefinite ait, alio loco apertissimis verbis Christo sigillatim attribuit. Quibus verbis? *Ubi non est graecus, non judaeus, circumcisio et praeputium, barbarus et scytha, servus et liber: sed omnia et in omnibus Christus* (Gal. 3, 28).

---

1) Ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἀποκαταστάσεως tempore restitutionis seu resurrectionis et consummationis finalis. Docet s. Gregorius verba illa: *Erit autem Deus omnia in omnibus*, non esse intelligenda exclusive de Patre, ac si Filius in Patrem resolveretur, sed de Deo simpliciter, ac proinde de Deo uno et trino.

7. Tertio loco vocem hanc *major* (Joan. 14, 28) numerant: quarto item, *Deum meum et Deum vestrum* (Id. 20, 17). Sane, si major quidem diceretur, non item aequalis, fortasse vim aliquam haberet quod afferunt. Cum autem utrumque inveniri liquido constet, quid tandem generosi homines dicent? Quid roboris habebunt? Quomodo convenient, quae convenire nequeunt? Idem enim se ipso majus, pariterque sibi ipsi aequale fieri non potest. Nonne ergo perspicuum est majoris vocem ad causam [1]), aequalis autem ad naturam referendam esse? Ac nos istud ingenue admodum et candide confitemur. Fortasse autem

---

1) Ὅτι τὸ μεῖζον μέν ἐστι τῆς αἰτίας *majoris vocem ad causam* etc. Tuetur ergo s. doctor Patrem secundum naturam quidem Filio esse aequalem, sed qua persona est, majorem esse Filio utpote qui Filii origo et principium sit, ac proinde Patrem prae Filio ἀξίωμα quodam habere non naturale sed hypostaticum, quae est etiam aliorum patrum doctrina apud Petavium l. 2. de Trin. c. 2. — Προσφιλονεικῶν. „Vox ista, inquit Billius, non significat eum, qui Gregorii rationem impugnaret, sed qui acrius in eandem causam incumberet filiique divinitatem tueretur. Nam ex eo quod Gregorius fateatur Filium ratione dumtaxat causae minorem esse Patre, contenderet fortasse aliquis in eandem Filii defensionem acrius incumbens, ne in hac quidem ratione minorem eum esse dicendum.“ Permittit quidem s.

dixerit alius quispiam, sermonem nostrum acriori animi contentione prosequens, inferius habendum non esse, ab hujusmodi causa, causae omnis experte, proficisci. Nam et quia ab eo, qui principio caret, originem trahit, ejus quoque gloriae partem sibi vindicat: et accedit insuper generationis praerogativa, res tanta, tamque veneranda, iis quidem certe, qui mente praediti sunt. Nam, quod ratione humanitatis Pater Filio major intelligendus sit, vere quidem dici potest, sed non perinde honorifice. Quid enim mirum, Deum homine majorem esse? Atque haec mihi dicta sint adversus eos, qui *majoris* vocem insolentius jactant.

8. Quod autem ad alteram partem attinet, Deus dicitur, non ratione Verbi, sed partis, quae in oculorum sensum cadit; (quo enim modo illius, qui proprie Deus est, Deus dici queat?) Quemadmodum Pater, non humanitatis, sed Verbi respectu. Duplici quippe natura constabat; quo fit, ut alterum de eo proprie dicatur, alterum improprie: contra quam in nobis se res habet. Deus enim pro-

---

doctor ut Filius minor dicatur Patre tantum secundum humanitatem, non autem secundum rationem principii; significat tamen hanc explicationem verborum Christi Joan. 14, 28. non sibi satis arridere.

prie Deus noster est, non autem proprie Pater. Atque hoc est quod haereticos in errorem inducit, nempe nominum horum conjunctio, permutatis videlicet inter se nominibus propter utriusque naturae connexionem. Argumento est, quod cum naturae animo et cogitatione distinguuntur, simul quoque nomina dividuntur [1]). Audi Paulum his verbis loquentem: *Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater ille gloriae* (Ephes. 1, 17). Vides quomodo Christi quidem Deus, gloriae autem Pater dicatur. Quamvis enim haec duo unum efficiant [2]), id tamen non natura fit, sed eorum coitione. Quid his apertius et manifestius esse queat?

9. Quintum numeretur, quod vitam, aut judicium (Joan. 5, 21. et seqq.), aut gentium hereditatem (Psal. 2, 8), aut carnis omnis

---

1) *Argumento est* etc. quod Pater sub alio respectu dicatur Pater, sub alio Deus Jesu Christi patet, si sedulo diligenterque naturas hypostatice unitas ab invicem distinguimus. Tunc enim manifestum est, Patrem dici Patrem Christi ratione divinae naturae, quam gignendo Filio communicavit, vocari autem Deum Christi ratione humanae naturae, quae est creata.

2) *Unum efficiant*, scil. unam personam, non sunt tamen una natura, sed naturae manent distinctae, hinc de Christo secundum duas ejus naturas distinctas aliter atque aliter loqui licet.

potestatem (Joan. 17, 2), aut gloriam (Apoc. 5, 12), aut discipulos ceteraque ejusdem generis, accipere dicitur; hoc quoque ad humanitatem spectat. Quamquam ut haec etiam Deo tribuamus, nulla inde absurditas consequetur. Non enim velut ascititia ei tribuemus, sed velut quae a principio una cum ipso extiterint, non ratione gratiae, sed naturae [1]).

10. Sexto loco ponatur, quod *non potest Filius a se ipso facere quidquam, nisi id viderit Patrem facientem* (Joan. 5, 19). Quae verba ejusmodi sensu explicanda sunt: Posse vel non posse, non uno modo dicitur; variam enim ac multiplicem significationem habet. Nonnunquam enim secundum virium defectum dicitur, et certi temporis ac personae ratione habita: ut quod puer luctari non possit, aut catulus cernere, aut cum aliquo dimicare. Luctabitur enim fortasse aliquando, et cernet, et cum hoc dimicabit, etiamsi cum altero nequeat. Interdum de eo dicitur, quod saepenumero contingit, ut illud: *Non potest civitas abscondi supra montem posita* (Matth. 5, 14). Fieri enim potest, ut quaedam civitas abscondatur, majori nimirum aliquo monte ipsius aspectum impediente. Impossibile eti-

1) Cf. quae annotavimus opusc. 22, 170. n. 3.

am dicitur, quod minime aequum est rationique consentaneum; cujus generis est illud: *Non possunt filii sponsi jejunare, quamdiu praesens est sponsus* (Id. 9, 15); sive eum intelligas, qui corporeis oculis cernitur (neque enim aerumnae afflictionisque tempus erat illud tempus, quo Christus cum discipulis versabatur), sive eum ut Verbum spectes. Quid enim eos corporeo modo jejunare necesse est, quia Verbo purgantur? Quarta significatione hoc fieri non posse dicitur, a quo nostra voluntas abhorret; cujusmodi est illud: *Non poterat illic signa facere propter incredulitatem eorum* (Id. 13, 58), qui ea excipiebant. Quoniam enim ad morborum depulsiones utrumque accedere necesse est, nempe ut et aegroti fidem, et medici vim et facultatem medendi afferant, idcirco alterum, deficiente altero, minime contingebat. Haud scio autem, an hoc quoque non adjungendum sit, ad id quod rationi consentaneum est. Neque enim iis medicinam afferre conveniebat, quibus incredulitas detrimentum allatura erat. Quo etiam in ordine ponendum est illud: *Non potest mundus odisse vos* (Joan. 7, 7. ). Et, *Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali* (Matth. 12, 34). Quo enim pacto quidquam horum impossibile est, nisi quia voluntas re-

pugnat? Jam illud quoque impossibile dicitur, quod natura quidem impossibile est, Deo autem volenti possibile. Quo in genere est illud eundem hominem bis nasci non posse (Joan. 3, 4), nec acu camelum admitti (Matth. 19, 24). Quid enim prohibeat quominus haec fiant, si Dei voluntas ita tulerit?

11. Praeter hos omnes modos impossibile dicitur quod nulla omnino ratione fieri potest, ut quod nunc exquirimus. Ut enim impossibile esse dicimus Deum malum esse, aut omnino non esse (hoc enim Dei impotentiam potius atque imbecillitatem, quam potentiam arguerit), aut ut sit, quod non est, aut ut bis duo simul et quatuor sint et decem: ita nec fieri ullo modo potest, ut Filius aliquid faciat, quod Pater non faciat. *Omnia enim quae Pater habet, sunt Filii* (Joan. 16, 15): quemadmodum rursus omnia, quae Filius, Patris. Nihil ergo peculiare, quia communia omnia. Quandoquidem ipsum quoque esse, commune atque aequale est ipsi cum Patre, licet alioqui hoc a Patre Filius habeat. Quo etiam sensu dictum est: *Ego vivo propter Patrem* (Id. 6, 58); non quod ab illo [1]) ipsius vita atque

1) Citra . . . causam ἀναιτίως, vel quatenus non est creatus, vel quatenus natura, quam generatione communicatam accepit *sine causa* est.

essentia sustineatur, verum quod ex illo citra tempus ullum atque causam exsistat. Sed quomodo illud accipiendum, quod Patrem facientem videre dicitur, atque ita facere (Id. 5, 10)? An ut qui formas ac literas pingunt, eo quod veritatem aliter assequi nequeant, nisi exemplar suum intueantur, atque inde velut manu ducantur? Qui vero quadrat, ut Sapientia magistro opus habeat? Nihilne efficiet nisi edocta? Quid? Paterne aliquid facit, aut fecit? Utrum tandem alium mundum ante hunc coagmentavit, atque alium rursus in posterum coagmentabit, quos Filius sibi ante oculos proponens, alterum quidem jam procreaverit, alterum autem procreaturus sit? Quatuor ergo hac ratione mundi erunt, duo a Patre, duo a Filio effecti? O supinam vecordiam! Age, cum lepras purgat, daemones et morbos profligat, mortuos ad vitam revocat, mare pedibus peragrat, aliaque omnia facit, in quo tandem, aut quando Pater haec ante fecit? Nonne perspicuum est, earundem rerum formas a Patre quidem velut designari a Filio autem peragi, non serviliter atque indocte, sed perite et heriliter, atque, ut aptius loquar, paterne? In hunc quippe sensum verba haec accipio: *Quaecunque Pater facit, eadem et Filius similiter facit* (Joan. 5, 19);

non quod similia sint utriusque opera, sed quod par sit utriusque potestas atque auctoritas. Atque hoc fortasse esse queat, quod et Pater usque modo operari dicitur (Ibid. 17), et Filius; non autem hoc duntaxat nomine, sed etiam ratione gubernationis et conservationis eorum, quae facta sunt, ut indicat illud: *Qui facit angelos suos spiritus.* Et, *Qui fundat terram super stabilitatem* (Psal. 103, 4. 5.): cum semel et haec firmata atque stabilita sit, et illi procreati. Quo etiam pertinet: quod firmare tonitru (Job. 38, 25) dicitur, et ventum creare (Amos. 4, 13), quorum ipsa quidem ratio semel condita est, ceterum nunc quoque perpetua vis est ac facultas.

12. Septimum proferatur, quod Filius e coelo descendisse dicitur, non ut voluntatem suam faciat, sed ejus a quo missus est (Joan. 6, 38). Sane nisi ab illo ipso, qui descendit, hic sermo haberetur, dicere possemus haec verba velut ab homine exprimi, non qui de Salvatore [1]) intelligatur (illius enim voluntas,

---

1) Nisi ex Evangelio constaret haec ab ipso Verbo incarnato dici, facile putaremus haec ab homine dici, qui nostrae sit conditionis, non ab illo homine qui est ipse Filius Dei et Salvator mundi. Ceteram putat s. Gregorius haec et similia dicta esse a

cum tota deificata sit, Deo procul dubio non adversatur), sed qui nostrae conditionis sit. Humana quippe voluntas divinam non continuo sequitur, verum ut plurimum ei resistit atque obluctatur. Nam illud quoque eodem modo intelligimus: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non mea, sed tua voluntas vincat* (Matth. 26, 39). Neque enim, possibile esset necne, ipsum ignorasse verisimile est, nec voluntati voluntatem opposuisse. Sed quoniam partis illius, quae assumpsit (hoc enim est, quod descendit), non autem partis assumptae hic sermo est, ad hunc modum respondebimus: haec non ita dici, quasi propriam voluntatem Filius habeat atque a Patris voluntate separatam, sed potius quod non habeat; ut, quod colligitur, sit hujusmodi: *Non ut faciam voluntatem meam* (Joan. 6, 38): nec enim voluntas mea a tua disjuncta est, sed commu-

---

Christo non secundum humanam naturam, sed secundum divinam naturam voluntatemque, hisque non significari distinctam Filii voluntatem a voluntate Patris, sed potius voluntatis identitatem in Patre et Filio. Probat deinde nonnullis exemplis dictionem illam: *Non ut faciam meam voluntatem*, non necessario significare Christum habuisse propriam distinctamque voluntatem (divinam) a Patris voluntate.

nis utriusque nostrum, quorum, ut una est Deitas, ita una quoque voluntas. Permulta enim ex his, quae ita dicuntur, a communi dicuntur, nec affirmationis modo, sed inficiationis, ut illud: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum* (Id. 3, 34). Neque enim dat, nec mensura definitum: nec enim Deus Deum metitur. Ut item illud: *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum* (Psal. 58, 5). Non enim, quod in eo peccatum sit, hoc sermone utitur, sed quod non sit. Ac rursus: *Non propter justitias nostras, quas fecimus* (Dan. 9, 18): neque enim fecimus. Quod etiam perspicue colligi potest ex his, quae sequuntur. *Quae est enim*, inquit, *voluntas Patris mei? Ut omnis qui credit in eum, salutem consequatur* (Joan. 6, 40), ac postremae resurrectionis compos fiat. An igitur Patris quidem haec est voluntas, Filii autem minime? An invitus Evangelium praedicat, fidemque apud homines nanciscitur? Quis vero hoc credat? Quandoquidem illud quoque, quod ait Filius, sermonem qui ab auditoribus excipiatur, suum non esse, sed Patris (Id. 14, 24), eandem omnino vim habet. Quomodo enim hoc cujusquam proprium, aut solius esse queat, quod commune est, licet diu multumque mecum considerem, perspicere nequeo,

ac ne alius quidem quisquam, nisi mea me opinio fallit. Si hoc modo voluntatem intelligis, recte intelligis pieque admodum et orthodoxe, ut quidem mea est sententia, imo etiam cujusvis, modo recto judicio praeditus sit.

13. Octavo illud afferunt: *Ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. 17, 3). Et, *Nemo bonus, nisi solus Deus* (Luc. 18, 19). Cujus argumenti perfacilis mihi videtur esse solutio. Si enim haec verba *solum verum* Patri dumtaxat tribueris, ubi tandem Veritatem ipsam collocabis? Etenim si illud *soli sapienti Deo*; aut illud, *soli immortalitatem habenti, lucemque inaccessibilem habitanti* (1. Tim. 6, 16); aut illud denique, *Regi seculorum immortali, invisibili, soli sapienti Deo* (Id. 1, 17), ad hunc modum intellexeris, peribit utique tibi Filius, vel morte, vel tenebris mulctatus, vel in hoc condemnatus, ut nec sapiens sit, nec rex, nec invisibilis, imo nec omnino Deus, quod caput est eorum, quae diximus. Quid autem afferri poterit, quin simul cum ceteris rebus, bonitatis quoque, quae maxime solius Dei est, jacturam faciat? Verum haec verba: *Ut cognoscant te solum verum Deum* ad eorum, qui, quamquam falso, dii tamen appellantur, sublationem dici exi-

stimo [1]). Neque enim adjectum fuisset: *Et quem misisti, Jesum Christum*, si ad eum

---

1) Advertatur praeterea, tunc fore aliquam difficultatem, si vox *solum* esset referenda ad subjectum *Patrem*, ut sit sensus: Ut cognoscant *te solum Patrem* esse verum Deum. Jam vero illud vocabulum *solum* referendum est ad praedicatum *verum Deum*, ut patet ex textu graeco, hinc sensus est, ut cognoscant *te* esse *solum verum Deum*. Quod si Pater est solus verus Deus, cum Filius sit ejusdem cum Patre naturae, etiam Filius erit solus verus Deus: hoc autem Christus vel eo significat, quod se Patri in tam solemni declaratione vitae aeternae adjungat. Ad rem Novatianus de Trinit. c. 16. al. 24: „Est ergo credendum secundum praescriptam regulam in Dominum unum verum Deum et in eum quem misit Jesum Christum consequenter, quia se nequaquam Patri, ut diximus, junxisset, nisi Deum quoque intelligi vellet; separasset enim ab eo, si Deum intelligi se noluisset: inter homines enim tantummodo se collocasset, si hominem se esse tantummodo sciret: nec cum Deo junxisset, si se non et Deum nosset: nunc et de homine tacet, quoniam hominem illum nemo dubitat, et Deo se jungit merito, ut credituris divinitatis suae formulam poneret.“ Cf. s. Ambrosium de Spiritu s. l. 2. c. 3; de fide l. 5. c. 1. n. 17; Hilarium de Trinit. l. 3. n. 14; l. 9. n. 32. ss. Quare si sensum spectes haud immerito scripsit Augustinus in Joan. tr. 105. n. 3: „Ordo verborum est, ut te et quem misisti Jesum Christum cognoscant solum Deum verum.“ Quod saepius alibi inculcat ut de Trinit. l. 6. c. 9; de Spiritu et lit. n. 37; l. 2. c. Maximin. c. 15. n. 4;

opposita distinctione submovendum, illa *solum verum* pertinerent, ac non de communi utriusque Divinitate sermo esset. Illa autem Christi verba, *nemo bonus*, eo spectabant, ut tentatori legisperito, qui bonitatem ipsi, tamquam homini, tribuebat, occurreret. Summe enim bonum esse, inquit, solius Dei est (Luc. 18, 19): tametsi hoc quoque nomine homo nuncupetur, ut illud: *Bonus homo de bono thesauro profert bonum* (Matth. 12, 36). Et Deus ad Saulem de Davide verba faciens: *Dabo regnum tuum meliori te* (1. Reg. 15, 28). Tum illud: *Benefac, Domine, bonis* (Psal. 124, 4); ac denique ea id genus omnia, quae de his dicuntur, qui hominum laude ac praedicatione florent, ad quos primi illius boni rivus secundario cursu dimanavit. Haec si tibi persuasimus, commodissime se res habet. Sin minus, quid dicturus es ad eos, qui ex altera parte, juxta id, quod pro causae tuae fundamento posuisti, Filium solum Deum dictum esse contendunt. In qui-

---

c. serm. arianorum n. 1. Idem quoque docent Pseudo-Athanasius in disp. contra Arium n. 22; Beda in h. l.; Primasius in Apoc. 7, 10; auctor quaest. 65 q. 3. (inter opera Augustini, Mig. 40, 735), aequivalenter mox s. Gregorius et Paulinus aquilejensis contra Felicem urgellit. l. 1. c. 36.

bus autem verbis? In istis nimirum: *Hic Deus tuus, et non aestimabitur alius praeter eum* (Baruc. 3, 36). Et paucis interjectis: *Post haec in terra visus est, et cum hominibus conversatus est* (Ibid. 38). Nam quod non de Patre, sed de Filio sermo habeatur, adjectio haec aperte declarat. Hic enim est, qui corpoream nobiscum consuetudinem habuit, terrenisque rebus conjunctus est. Quod si illud obtineatur, haec verba, *Et non aestimabitur alius*, adversus Patrem dici, non adversus eos, qui falsa mortalium opinione dii habentur, quod ad Patrem attinet, per ea utique victi sumus, quibus Filio impense studuimus [1]); qua victoria quid calamitosius et perniciosius esse queat?

14. Nono illud producent: *Semper vivens ad interpellandum pro nobis* (Hebr. 7, 25). Optime sane ac perquam mystice et benigne. Interpellatio namque non vulgi more id sonat, quod est vindictam quaerere (hoc enim hu-

1) Δι' ὧν τοῦ υἱοῦ κατεσπουδάσαμεν. Haec Maurini ita vertunt: *quibus adversus Filium obnixe contendimus.* Sed quomodocunque vertantur patet, s. doctoris scopum esse ostendere, adversariorum methodo argumentandi contra Filii divinitatem aeque posse impugnari Patris divinitatem, seu adversariorum tela in Filii divinitatem retorqueri posse non minori successu in Patris divinitatem.

militatis [1]) quodammodo esset); sed idem significat, quod pro nobis mediationis ratione supplicare; quemadmodum et Spiritus pro nobis intercedere dicitur (Rom. 8, 26). *Unus enim Deus, unus etiam mediator Dei et hominum, homo Jesus Christus* (1. Tim. 2, 5). Intercedit enim nunc quoque ut homo pro mea salute; quoniam cum eo corpore est, quod assumpsit, donec me, assumptae humanitatis virtute, Deum effecerit, tametsi non jam secundum carnem cognoscatur, hoc est, secundum carnales affectiones, ac, citra peccatum, nostras [2]). Eodem modo *advocatum quoque habemus Jesum Christum* (1. Joan. 2, 1), non ut nostra causa sese ad Patris pedes advolventem servilique modo abjicientem. Procul sit ista servilis sane suspicio Spirituque indigna. Neque enim Patris est hoc exposcere, aut Filii pati: nec de Deo hoc cogitare pium atque aequum est. Sed ex his, quae

---

1) *Humilitatis* ταπεινότητος sensu sequiori accepta, animi abjecti, illiberalis.

2) Sensus videtur esse: Christus est modo noster apud Patrem advocatus utpote homo nostraeque naturae consors, licet ea non amplius illis miseriis et doloribus sit obnoxia sicut ante resurrectionem, cum excepto peccato nostras miserias et defectus est expertus.

humanitus perpessus est, ad tolerantiam me, ut Verbum et exhortator, inducit. Sic ego advocationem hanc intelligendam arbitror.

15. Decimo loco ignorantiam ponunt, illudque, quod extremum diem atque horam nemo cognoscat, ac ne Filius quidem ipse, sed solus Pater (Marc. 13, 32). At qui fieri potest, ut Sapientia quidquam eorum, quae sunt, ignoret, ille, inquam, seculorum factor, ille consummator atque immutator, ille eorum, quae facta sunt, finis? Quique ea, quae Dei sunt (1. Cor. 2, 11), perinde novit, ac spiritus hominis ea, quae in ipso sunt? Quid enim hac cognitione plenius ac perfectius? Qui vero constat ipsum ea quidem, quae horam illam antecedunt, ac quae velut in ipso finis articulo sunt, exactissime scire, ipsam autem horam ignorare? Aenigmati quippe res haec similis est: perinde videlicet ac si quis ea, quae ante murum sunt, certissime se nosse affirmet, murum autem ipsum ignorare se fateatur: aut diei finem probe sciens, noctis principium minime cognoscat: ubi alterius cognitio alterum necessario secum ducit. Eccui igitur dubium esse potest, quin horam quidem, ut Deus, cognitam habeat, ignoret autem ut homo, si quis partem aspectabilem ab ea disjungat, quae mente sola perspici po-

test? Nam quia absolute hoc loco ac sine relatione Filii nomen ponitur, nec adjungitur cujus, idcirco hinc nobis ansa porrigitur ita existimandi, ut ignorantiam hanc sensu maxime pio interpretemur, eamque humanitati, non divinitati adscribamus.

16. Si igitur haec ratio adversariis satisfacit, hic pedem figemus, nec quidquam amplius a nobis inquiratur. Sin secus, hanc secundam expositionem afferemus; quod quemadmodum singula alia, ita rerum quoque maximarum cognitio in Genitoris honorem ad causam ipsam referenda est. Quin ne exiguum quidem mihi intellecturus videtur, qui sic legerit, ut nostrae memoriae vir quidam literarum studiosus, nempe Filium non aliter diem illum vel horam nosse, quam ut Pater. Quid enim hinc colligitur? Quoniam Pater cognoscit, ideo etiam Filius: tamquam videlicet nemo hoc cognoscere ac percipere queat, praeter principem illam naturam [1]). Supererat

---

1) Multiplex est penes patres hujus difficultatis solutio. 1. s. Ambrosius de fide l. 5. c. 16. n. 193. affirmat „veteres non habere codices graecos, *quia nec Filius scit*; sed non mirum, si et hoc falsarunt (ariani) qui Scripturas interpolaverunt.“ Ita etiam Paulinus aquilej. c. Felicem urgellit. l. 3. c. 12. Haec tamen suspicio solido caret fundamento, hinc

jam de hoc verbo: mandatum est, de eo etiam quod Patris mandata servasse, et quae pla-

---

aliis in locis hanc difficultatem solvit s. Ambrosius nulla facta hujus corruptionis mentione, ut ib. l. 2. c. 11. n. 93; in Luc. l. 8. n. 34 ss. — 2. Nonnulli e patribus concedere videntur, Christum secundum naturam humanam diem ignorasse judicii. Cf. Garnerium in annot. ad l. fidei Rufini n. 21. (Mig. 48, 247), quod tamen nisi dextere explicetur (cf. mox n. 3.) admittere non licet. Hinc Leporius in l. emendat. n. 10.: „Dixi . . . D. N. J. Christum secundum hominem ignorare. Sed nunc non solum dicere non praesumo, verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam, quia dici non licet, etiam secundum hominem ignorasse Dominum prophetarum.“ Quod si qui patres id revera affirmaverint, excusari hoc modo poterunt cum Eulogio apud Photium cod. 240: „Quod si aliqui e patribus ignorantiam in Salvatore ex parte humanitatis admiserunt', non id ut dogma protulerunt, sed ut arianorum insaniam repellerent, qui nimirum humana omnia in divinitatem transferebant, ut increatum Dei Verbum probarent esse creatum: cautius nempe existimaverunt illi haec humanitati adscribere, quam sinere illos ea in ipsam divinitatem pertrahere.“ Quare hi patres magis solliciti de Verbi divinitate, permittunt interim ut haec de humanitate Christi affirmentur, nolentes modo ingredi quaestionem difficiliorem ad ipsorum scopum non necessariam, utrum etiam ab humanitate omnis excludenda sit ignorantia. Quo vero sensu 3. haec scientia Christi humanitati absque errore denegari possit, docet nos s. Gregorius M. l. 10. ep. 39.: „In natura quidem humani-

cita sunt ei, semper fecisse dicitur; ac insuper de consummatione et exaltatione (Joan.

---

tatis novit diem et horam judicii, sed tamen hunc non *ex natura humanitatis* novit . . . itaque scientiam quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum angelis creatura fuit, hanc se cum angelis . . . habere denegavit.« Ad quam sententiam revocari potest illa, cujus meminit Ambrosius l. 5. de fide c. 18. n. 221. Cf. Malvenda de Antichristo 1, 40. Non desunt 4. qui putent Christum eodem sensu haec dixisse, quo illa Joan. 5, 19., quibus affirmat, Filium non posse a se facere quidquam, non ut sibi denegaret potentiam, sed ut significaret se eam a Patre generatione accepisse. Denegavit sibi proinde scientiam non simpliciter, sed originalem, ingenitam: non enim illam habet a se, sed generatione a Patre acceptam. Cf. Basilium ep. 236. al. 391. n. 1, 2; Ambrosium l. 8. in Luc. n. 34; quam sententiam ultimo loco amplectitur Gregorius noster; ille autem vir literarum studiosus, ad quem provocat, est secundum Eliam s. Basilius. Communior tamen 5. ea est explicatio, quam ita proponit s. Augustinus de Gen. c. Manichaeos c. 22.: „Quid potest esse, quod ipse nesciat? Sed quia hoc utiliter occultat discipulis, nescientem se esse dixit, quia illos nescientes occultando faciebat.« Cf. in Ps. 6. n. 1; in. Ps. 36. serm. 1. n. 1; de Trin. l. 1. c. 12. n. 23; l. 83 qq. q. 60.; Hilarius de Trin. l. 9. n. 58—75.; Hieronymus in Matth. 24, 36; Chrysostomus hom. 77. al. 78. in Matth. Secundum hanc ergo explicationem Christus nescivit hunc diem scientia communicabili; nescivit qua Dei legatus, cum hanc notitiam nobis communicare non debuerit. Prae-

10, 18; 14, 10, et 8, 29), ac de eo, quod ex his quae passus est, obedientiam didicisse scribitur (Hebr. 5, 9. et seqq.), de sacerdotio (Ibid. 7, 1) item et oblatione, et traditione et oratione (Ibid. 4, 7) ad eum, qui a morte salvum eum facere poterat; ad haec de agonia, et sanguineo sudore atque oratione (Luc. 22, 41. et seqq.), et si quid aliud ejusdem est generis, pertractare: nisi cuivis exploratum esset, hujusmodi nomina perpetienti humanitati attribuenda esse, non autem immutabili

---

termissa vero 6. sententia Cyrilli alex. in Matth. 24, 36. (Migne 72, 443), qui putat, eo quod dicatur simpliciter *Filius*, haec non necessario intelligi de Christo, sed posse accipi de homine in genere ad filiationem adoptivam jam vocato, paucorum est sententia, haec dixisse Christum in persona nostra, seu quod in idem fere recidit, de Ecclesia, corpore suo mystico. Ita Origenes tr. 30. in Matth.; Pseudo - Athanasius in disp. c. Ariumn. 28. (Migne. 28, 474 s.); Epiphanius haer. 77. n. 26, 30; Gregorius turonensis in praef. l. 1. hist. franc. Hanc sententiam laudat et Gregorius M. l. 10. ep. 39. ad Eulogium patriarcham alex. scribens: „De eo vero, quod scriptum est, quia diem et horam neque Filius, neque angeli sciunt, omnino recte vestra sanctitas sensit, quoniam non ad eundem Filium juxta hoc, quod caput est, sed juxta corpus ejus, quod nos sumus, est certissime referendum: qua de re multis in locis idem b. Augustinus eo sensu utitur."

illi naturae, atque omni dolore et cruciatu sublimiori. Haec habui, quae ad diluendas adversariorum objectiones afferrem, ut velut radicis cujusdam ac submonitionis instar iis sint, qui majori inquirendi solertia praediti sunt, ad eandem materiem plenius exactiusquepertractandam. Operae pretium autem fortasse minimeque ab iis, quae prius diximus, alienum fuerit, cum multa sint Filii nomina, et multis, quae de eo intelligantur, imposita, haec sine speculatione non praeterire; verum quid quaeque appellatio sibi velit, declarare, ac mysticam vim nominum explicare.

17. Hinc porro initium ducendum erit. Deus nullo nomine exprimi potest; idque declarant non modo ratiocinationes, sed hebraeorum doctissimi atque antiquissimi quique, quantum quidem nobis conjiciendum dederunt. Nam qui propriis notis summum illud nomen honorandum duxerunt ac ne iisdem quidem literis aliud quidem eorum [1]), quae post Deum sunt, ac Deum ipsum scribi sustinuerunt (tamquam scilicet Deum huc

---

1) Respicit nomen Dei penes judaeos ineffabile et incommunicabile יְהוָה — Λυομένῃ φωνῇ voce, quae dissolvitur, per aërem diffunditur atque spargitur. Cf. supra annot. ad Chrysostomi h. 5 n. 4.

etiam usque a rerum nostrarum commercio distinctum esse oporteat), ecquando tandem solutili voce naturam illam insolutilem, nec cum aliis communem explicari paterentur? Quemadmodum enim nemo est, qui aërem totum unquam hauserit; ita Dei naturam, nec mens unquam ulla prorsus concepit, nec vox ulla complexa est. Verum ipsum ex his, quae circa ipsum sunt, adumbrantes, obscuram quandam et imbecillem, atque aliam ex alio speciem colligimus. Ac praestantissimus hic apud nos theologus censetur, non qui in totum, quid Deus sit, invenerit; nec enim vinculum [1]) capere hoc totum potest; sed qui ampliorem ipsius speciem mente conceperit, ampliusque veritatis simulacrum vel adumbrationem, vel quocunque tandem alio vocabulo uti quis malit, in se ipso collegerit.

18. Quantum ergo nobis assequi concessum est, *Ens* et *Deus* magis quodam modo essentiae nomina sunt; ex iisque etiam vox *Ens* ad eam indicandam aptior est; non hoc solum nomine, quod ipse, cum Moysi in monte oraculum ederet, quaereretque ille, quo no-

---

1) Οὐδὲ γὰρ δέχεται τὸ πᾶν ὁ δεσμὸς. Vinculum i. e. corpus, inquit Elias, cui animus quasi quodam vinculo est alligatus.

mine vocaretur, ita se ipsum appellavit, edicens videlicet ei, ut ad populum his verbis uteretur: *Qui est, misit me* (Exod. 3, 14); sed etiam quia nomen illud magis proprium esse comperimus. Quamvis enim Dei vox, vel a verbo θέειν, vel ab αἴθειν, ut putant qui in hoc genere sibi sciti atque arguti videntur, hoc est, a *currendo*, vel ab *urendo* rationem originis suae ducat, propter motus perpetuitatem, et quod vitiosos habitus consumat (nam hinc quoque *Ignis consumens* dicitur Deut. 4, 24), ex eorum tamen numero est, quae ad aliquid referuntur [1]), nec libera et absoluta est; quemadmodum nec vox ista *Dominus*, quae Dei quoque nomen esse dicitur. *Ego enim*, inquit, *Dominus Deus tuus: hoc meum nomen est* (Is. 42, 8). Et *Dominus nomen ipsi* (Psal. 67, 5). At nos naturam ejusmodi exquirimus, quae ipsum esse per se habeat, ac non cum alio quopiam copuletur. *Ens* vero proprium sane est Dei, ac totum nec priore aliqua re, nec posteriore

1) Nomen *Dei* aliaque similia ex aliqua Dei operatione vel relatione ad extra sunt desumpta, hinc ad Dei naturam declarandam non adeo sunt apta: contra nomen τὸ ὄν seu melius ὁ ὤν Deum in seipso exhibet, ejusque perfectionem nullo limite circumscriptam aptissime manifestat.

(nec enim erat, aut erit) definitum ac circumcisum.

19. Alia autem nomina partim potestatis esse constat, partim oeconomiae, et quidem duplicis; alterius nimirum corpore sublimioris, alterius cum corpore conjunctae [1]). Exempli causa, *Omnipotens* et *rex* vel gloriae, vel seculorum, vel virtutum, vel dilecti (Psal. 67, 13), vel regnantium. Item *Dominus*, vel *Sabaoth*, hoc est, exercituum, vel virtutum, vel dominantium. Haec sine ulla dubitatione potentiam Dei ostendunt. *Deus* rursus, vel salvos faciendi, vel ultionum, vel pacis, vel justitiae, vel Abrahae, Isaac et Jacob (Exod. 3, 6), universique spiritualis Israëlis ac Deum videntis. Haec utique oeconomiae sunt nomina. Quoniam enim tribus his rebus gubernamur, nempe et supplicii metu, et salutis gloriaeque spe, et cultu virtutum, quibus haec comparantur; ultionum quidem nomine metus procuratur; salutis autem spes; vir-

---

1) Oeconomiae et quidem duplicis i. e. providentiae seu administrationis rerum humanarum, quae est duplex, alia simpliciter divina quaeque magis spectat ad ordinem naturalem, alia quae elucet in mysterio incarnationis, mediante quo Deus specialissima ratione hominum procuravit salutem. Vel forte respicit duplicem oeconomiam ante et post incarnationem.

tutum denique probitatis studium: ut qui aliquid horum assequitur, perinde ac Deum in se ipso gerens, ad perfectionem et familiaritatem eam atque cognationem, qua nos virtus ipsi conciliat, majori celeritate festinet. Atque haec vocabula Deitati communia sunt. Proprium autem ejus, qui principii expers est, nomen *Pater*: ejus autem, qui citra ullum principium genitus est, *Filius*: illius denique qui citra generationem processit aut progreditur, *Spiritus sanctus*. Verum ad Filii nomina, de quibus nobis dicere propositum erat, accedamus.

20. Primum ergo *Filius* mihi dici videtur, quia essentia idem est cum Patre: neque id solum, sed quia etiam ex illo est. *Unigenitus* autem, non (tantum) quia solus ex solo et solum; sed etiam quia unico modo ac non ut corpora. *Verbum* porro quia ita se habet ad Patrem ut sermo ad mentem. non modo propter generationem passionis omnis expertem, verumetiam propter conjunctionem ipsius cum Patre vimque enuntiatricem [1]). Fortasse etiam quis dixerit, eodem modo se ad Patrem habere, quo definitio ad definitum, quoniam definitio

---

1) Cf. de Verbi nomine annot. ad s. Anselmi monologium c. 42. opusc. XXVIII. pag. 121 ss.

quoque Λόγος dicitur. *Qui enim Filium cognovit*, ait Christus, (hoc enim idem significat ac *vidit*,) *Patrem quoque cognovit* (Jon. 14, 7. et 9): ac brevis et compendiosa facilisque paternae naturae declaratio est Filius. Omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit. Quod si quis etiam, quia rebus omnibus insit, Λόγον vocari contendat, a ratione non aberrabit. Quid enim est, quod non Verbo conditum sit? *Sapientia* vero, ut rerum divinarum et humanarum scientia. Qui enim fieri potest, ut conditor rerum a se conditarum rationes ignoret? *Potentia*, ut rerum creatarum conservator, vimque iis suppeditans ut contineantur. *Veritas*, ut natura unum, non multa. Verum quippe unum est, mendacium multiplex: atque etiam ut purum Patris sigillum minimeque mendax character. *Imago*, ut ejusdem cum Patre substantiae (Hebr. 1, 3. et Coloss. 1, 15), et quia ex illo est, non autem ex hoc Pater. Haec siquidem imaginis natura est, ut sit imitatio exemplaris, cujus imago dicitur; quamquam hic imago exemplar suum expressius refert. Illic enim rei vivae ac motu praeditae mortua et motus expers imago est; hic autem vivi exemplaris viva quoque est effigies, multoque minus a Patre differens, quam Seth ab

Adamo (Gen. 4, 25), filiusque omnis a parente suo. Hujusmodi namque simplicium rerum natura est, ut non partim inter se similes sint, partim dissimiles, sed totae totas repraesentent, eaedemque potius sint, quam similes. *Lux* etiam dicitur, ut animorum splendor, qui et vita et sermone purgantur. Nam si ignorantia et peccatum tenebrae sunt, lux profecto erit scientia et vita divina. *Vita* (Jon. 14, 6), quia lux totiusque ratione praeditae naturae coagmentatio et procreatio [1]). *In ipso enim vivimus, et movemur, et sumus* (Act. 17, 28), secundum duplicem illam *inspirationis* facultatem (Gen. 2, 7). Nam et illinc omnes vitalem spiritum accipimus, et Spiritum sanctum, quotquot ipsius capaces sumus, et quatenus os mentis aperuerimus [2]). *Justitia*, quia pro merito praemia et poenas distribuit, aequumque judicem se prae-

---

1) Graece σύστασις καὶ οὐσίωσις. Quo sensu haec verba sint accipienda mox explicat per verba s. Pauli Act. 17, 28. — *Secundum duplicem inspirationis vim atque virtutem.* Deus enim primo homini spiraculum vitae inspiravit Gen. 2, 7. Deinde Christus post resurrectionem discipulos afflavit eisque Spiritum s. largitus est.

2) *Quatenus os mentis aperuerimus*, scil. pro nostra dispositione secundum illud Ps. 80, 11: *Dilata os tuum et implebo illud.*

bet his, qui sub lege sunt, et his, qui sub gratia; corporique item et animae, ut illud pareat, haec praesit atque imperet, praestantiorque pars principa tum adversus inferiorem teneat, nec id quod deterius est, adversus id, quod melius est, insurgat. *Sanctificatio*, quia puritas, ut purum illud Numen per puritatem capiatur. *Redemptio*, quia nos a peccato detentos in libertatem asserit, seseque pro nobis, ut orbis terrarum expietur, liberationis pretium dat. *Resurrectio*, ut nos hinc abductos suscitans, et a peccato morte affectos ad vitam reducens.

21. Atque haec adhuc communia sunt, tam ei qui supra nos est, quam qui propter nos. Nunc ad ea veniamus, quae proprie nostra sunt humanitatisque assumtae. *Homo* itaque dicitur (atque est), non solum ut per corpus a corporibus capiatur, qui alioqui ob incomprehensibilem naturam suam capi non poterat; sed etiam ut per se hominem sanctitate afficiat, fermentique instar universae massae sit, sibique uniens quod condemnatum fuerat, totum illud a condemnatione liberet, omnia pro nobis, quae nos sumus, excepto peccato, factus, corpus, anima, mens, (per quae videlicet mors pervaserat); et, quod ex his commune est, homo, visibilis Deus, prop-

ter id quod mente intelligitur [1]). *Filius hominis* propter Adamum ac Virginem, ex quibus exstitit, illo nimirum ut generis auctore, hac autem ut matre, juxta matris legem, et non juxta legem generationis. *Christus* propter Divinitatem. Ea enim humanitatis unctio est, non operatione, ut in aliis christis, sed totius ungentis praesentia sanctificans. Cujus hic effectus est, ut id, quod ungit, homo vocetur, et quod ungitur, Deus fiat [2]). *Via*, ut per se nos ducens. *Ostium*, ut introductor. *Pastor*, ut nos in loco pascuae collocans, et aqua refectionis educans (Psal. 22, 2), atque hinc nobis itineris ducem se praebens, necnon adversus belluas pro nobis dimicans: tum etiam, ut errantes revocans, et perditos reducens, et confractos obligans, et infirmos roborans, et firmos ac validos custodiens atque ad futurae vitae caulam per pastoralis scientiae rationes colligens. *Ovis*

---

1) *Visibilis Deus* seu potius *Deus visus* θεὸς ὁρώμενος. *Visibilis* seu *visus* ratione humanitatis, *Deus* διὰ τὸ νοούμενον ratione divinitatis, quae intellectu tantum fide illustrato cognoscebatur.

2) Propter idiomatum communicationem (de qua cf. opusc. 25, 179) Deus, qui ungit humanam naturam unione hypostatica, propter hanc ipsam unctionem seu unionem hypostaticam homo fit et homo vocatur.

porro, ut victima. *Agnus*, ut perfectus. *Pontifex*, ut oblator. *Melchisedech* (Id. 7, 1), ut matris expers, quod ad naturam illam nostra excelsiorem attinet, patre autem carens, quantum ad nostram: tum etiam quia sublimitus absque genealogia est. *Generationem enim illius*, inquit, *quis enarrabit* (Isai. 53, 8). Ac praeterea, ut rex Salem, hoc est, pacis, et rex justitiae, ac denique ut a patriarchis adversus pestiferas potestates strenue rem gerentibus decimas accipiens. Habes Filii appellationes. Per eas incede; per eas, inquam, omnes, quae sublimes sunt, divine [1]), per corporeas autem, humane: imo vero prorsus divine, ut ex imis hisce ascendens, fias Deus propter eum, qui propter nos de supernis descendit. Praeter omnia et ante omnia illud serva: nec aut in sublimioribus, aut abjectioribus nominibus errabis. Jesus Christus heri et hodie corporaliter, idemque spiritualiter, et in secula seculorum. Amen.

---

1) θεϊκῶς divine i. e. ratione Deo consentanea. — *Illud serva* quod scil. mox dixi, ut nomina sublimia ratione Deo consentanea intelligas, abjectiora et humana ad humanam referas naturam.

# ORATIO THEOLOGICA V.

## De Spiritu sancto [1]).

## ARGUMENTUM.

I. Impia haereticorum de Spiritu sancto assertio. II. Cur difficilis sit de Spiritu sancto disputatio. Spiritus sancti invocatio. III. Spiritus sanctus verus Deus. Pater, Filius et Paraclitus, lux vera, lux una, Deus unus. IV. Pater, Filius et Spiritus sanctus perfecta Deitas. V. Variae de Spiritu sancto opiniones. VI. Spiritus sanctus sub diverso respectu consideratus. VII. Haereticorum argumenta. Gregorii responsio. VIII. Haereticos urget Gregorius. Ineffabilis Spiritus sancti processio. IX. Cur Spiritus sanctus non vocatur Filius. X. Spiritus sanctus Deus consubstantialis. XI. Similitudo ex Adamo, Eva et Seth desumpta. Nulla imago rei veritatem assequi potest. XII. Probatur ex Scripturis Spiritum sanctum adorandum esse et orandum. XIII. Praecipua haereticorum objectio. Gregorii responsio. XIV. Responsio ad arianos et macedonianos. Deus in tribus personis unus est. XV. Apud sapientiores ethnicos Deitas una fuit. XVI. Ethnicorum dii foedis affectionibus obnoxii. XVII. Objectio. XVIII. Responsio. XIX. Haereticorum argumenta in ipsos haereticos retorquet. XX. Ridiculum est res easdem et ejusdem et diversae essentiae esse. XXI. Spiritus sancti Divinitas Scripturarum ac theologorum testimonio comprobatur. XXII. Primum rerum genus, quae non sunt, et dicuntur. XXIII. Secundum rerum genus, quae, cum sint, minime dicuntur. Tertium rerum genus, quae nec sunt, nec

---

1) In editione maurina 31. al. 37.

dicuntur. Quartum rerum genus, quae et sunt et dicuntur. XXIV. Relictis rebus, syllabae non sunt consectandae. XXV. Vetus ac Novum Testamentum sunt veluti duo terrae motus, quibus et tertius additur. Deus non invitis, sed volentibus benefacit. XXVI. Pater, Filius et Spiritus sanctus per gradus praedicati. XXVII. Theologiae tractandae ratio. Spiritus sancti Divinitas post ascensionem Christi apertius edocta. XXVIII. Spiritus sanctus, utpote Deus, colendus et adorandus. XXIX. Scripturarum testimonia, quibus sancti Spiritus Divinitas probatur. Varia Spiritus sancti nomina et operationes. XXX. Nemo, nisi procul a Spiritu sancto remotus, ipsius Divinitatem negare potest. XXXI. Natura divina nulli creatae rei comparari potest. XXXII. Trinitatis similitudo cum sole, radio et luce. XXXIII. Remotis imaginibus circa sanctissimam Trinitatem, sola fides retinenda est.

1. Ac de Filio quidem talis est nostra oratio: atque ad hunc modum lapidantium impetum effugit, per medium ipsorum transiens. Oratio quippe non lapidatur: verum lapides ipsa, cum lubet, jacit, ac belluas, hoc est, sermones male ad montem ascendentes (Exod. 19, 12) funda insectatur. Sed de Spiritu sancto, inquiunt, quid dixeris? Unde nobis peregrinum Deum nulloque Scripturae loco proditum introducis? Atque hoc illi quoque objiciunt, qui de Filio moderatius sentiunt. Nam quod in viis et fluviis reperire est, ut a se invicem secentur, ac rursus inter se coëant:

idem hic quoque (tanta est impietatis ubertas et copia) usuvenit, ut, qui in aliis rebus inter se dissident, in quibusdam rursus consentiant, ita ut ne plane quidem intelligi ac perspici possit, vel qua in re consentiant, vel in qua contendant.

2. Et quidem in hac de Spiritu sancto disputatione nonnihil inest difficultatis et molestiae, non hoc solum nomine, quod homines in sermonibus de Filio fracti ac debilitati, acrioribus animis adversus Spiritum luctantur; (omnino enim eos aliqua in re impios se praebere necesse est, aut ne vitalis quidem, ut dici solet, ipsis vita est), verum etiam quia nos quoque, quaestionum multitudine fatigati et enecti, similes sumus iis, qui ciborum fastidio laborant. Quemadmodum enim illi, postquam alicujus cibi fastidium contraxerunt, omnes quoque cibos aversantur, eodem quoque modo nos ex unius disputationis taedio ad omnes disputationes aeque nauseamus. Det tamen Spiritus, et oratio curret, Deique gloria celebrabitur. Enimvero quot modis vel *Spiritus*, vel *sanctus*, apud Scripturam sacram intelligatur et dicatur, accurate excutere atque distinguere, commodumque cuique speculationi testimonium adhibere, quodque etiam peculiari quodam modo id, quod

ex utroque connexum est, nimirum *Spiritus sanctus*, accipiatur, dicere supersedebimus, aliisque, qui haec et sibi ipsis et nobis, quemadmodum nos quoque ista ipsis, pertractarunt, hoc muneris relinquemus. Nos autem ad ea, quae deinceps sequuntur, orationem convertemus.

3. Atque illi quidem, qui perinde ac si nos peregrinum quendam et ascriptitium Deum invehamus, animo discruciantur, acriterque pro litera contendunt, sciant se illic timere, *ubi non est timor* (Psalm. 13, 5), studiumque erga literam suum nihil aliud, quam impietatis obtentum esse aperte cognoscant, ut paulo post ostendetur, cum objectiones eorum pro virili nostra refutaverimus. Nos vero tanta Deitatis Spiritus sancti, quem colimus, fiducia nitimur, ut hinc etiam a Deitate orationis initium ducturi simus, easdem Trinitati voces accommodantes, etsi id audacius fortasse nonnullis videri queat. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum*, Pater. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum*, Filius. *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum* (Joan. 1. 9), alius Paracletus. Erat, et erat, et erat: sed unum erat. Lux, et lux,

et lux: sed lux una, Deus unus. Atque hoc illud est, quod David quoque ipse ante animo informavit, cum diceret: *In lumine tuo videbimus lumen* (Psal. 35, 10). Nunc autem nos et perspeximus et praedicamus, ex luce Patre lucem Filium in luce Spiritu sancto percipientes, quae est compendiaria ac simplex divinae Trinitatis confessio. Qui rejicit, rejiciat; *qui inique agit, inique agat* (Isai. 21, 2); nos, quod intelleximus, praedicamus. *In montem excelsum ascendemus* (Id. 40, 9) et clamabimus, siquidem ex inferiori loco minus audiamur. Spiritum efferemus, non metuemus. Quod si etiam metuemus, id ita erit, ut quiescere, non praedicare, metuamus.

4. Si fuit tempus, cum non esset Pater, fuit quoque, cum non esset Filius. Si fuit tempus, cum non esset Filius, fuit quoque, cum ne Spiritus quidem esset. Si unum a principio erat, utique et tria. Si unum dejicis, audax hoc dicam, ne duo quidem superiore loco colloces. Quae enim imperfectae Deitatis utilitas? Imo quae Deitas, si imperfecta? Perfecta autem quomodo erit, in qua ad perfectionem aliquid desideretur? Desideratur enim, si sanctitate careat [1]). Hanc porro quo-

1) Haec explicanda sunt secundum dicta in annot. ad Monologii s. Anselmi c. 60. opusc. 28. p. 153.

modo habere queat, ni Spiritum habeat? Si enim alia quaedam praeter illum sanctitas est, quae tandem illa intelligenda sit, dicat quispiam: aut, si quidem eadem haec est, quid afferri potest, quamobrem non jam inde a principio fuerit? Quasi vero praestiterit Deo, aliquando imperfectum extitisse ac Spiritus expertem. Si a principio non erat, meae classis atque ordinis est, etiamsi me nonnihil antecedat. Temporis enim interstitio a Deo dirimimur. Porro si ejusdem mecum classis est, quo pacto me Deum efficit? Aut quo pacto cum Deitate conjungit?

5. Sed operae pretium facturum me puto, si de eo altius aliquanto disputationem repetam. Nam de Trinitate prius jam a nobis est pertractatum. Spiritum sanctum sadducaei penitus non esse censuerunt; quemadmodum nec angelos, nec resurrectionem: quibus haud scio quid acciderit, ut tot ac tanta de eo in instrumento veteri testimonia pro nihilo haberent. Qui autem apud ethnicos theologiae laude magis excelluerunt, propiusque ad nos accesserunt, per imaginem quandam ipsum, meo quidem judicio, conceperunt, tametsi in nomine dissenserint, universitatis nempe mentem, et extrinsecam mentem [1]), aliisque

1) *Extrinsecam mentem*, graece τὸν θύραθεν νοῦν.

id genus nominibus eum appellantes. Nostrates vero sapientes [1]), partim vim quandam et facultatem ipsum existimarunt, partim creaturam, partim Deum, partim, utro potius nomine vocandus esset, minime certum et exploratum habuerunt, ea, ut ajunt, ratione ducti, quod Scriptura neutrum horum plane aperteque demonstrasset. Ac proinde nec ipsum venerantur, nec contemnunt, sed medio quodam modo, vel potius misere perditeque erga eum afficiuntur. Ex his porro, qui Deum ipsum credunt, alii animo tenus pii atque orthodoxi sunt: alii labiis quoque ipsis pietatem profiteri non verentur. Alios etiam quosdam sapientiores audivi, qui Divinitatem metiuntur, ac tria quidem, perinde ac nos, intelligi confitentur, sed ea ita inter se disjungunt, ut unum eorum et essentia et potestate infinitum statuant, alterum potestate, non item essentia, postremum utroque circumscriptum. Sic alio quodam modo eos imitantur, qui opificem, et cooperarium, et mini-

---

1) Nostrates sapientes. Gregorius hic ethnicis opponit sapientes (quos tamen ita videtur appellare per ironiam), qui etsi nomine tenus christianam religionem profiterentur, erroribus tamen circa Trinitatem infecti erant, proinde haereticos.

strum nominant, atque ordinem et gratiam [1]), quae nominibus inest, rerum quoque seriem esse arbitrantur.

6. Nos vero nec cum iis, qui ne Spiritum quidem esse censent, nec cum nugatoribus ethnicis verba ulla commutabimus. Absit enim ut peccatorum oleo sermonem nostrum impinguemus (Psal. 140, 5). Cum ceteris autem ad hunc modum disputabimus: Spiritus sanctus vel ex eorum numero, quae per se subsistunt, omnino statuendus est, vel inter ea collocandus, quae in alio considerantur; quorum alterum substantiam, alterum accidens vocant, qui harum rerum scientiam callent. Ac siquidem accidens, vis utique et facultas quaedam Dei fuerit. Quid enim aliud, aut cujus? Hoc profecto magis consentaneum compositionisque expers. Si vis et facultas, agetur haud dubie, non aget: simulque, ut actus fuerit, desinet. Ejusmodi quippe est actus natura. Qui fit ergo, ut agat ipse, atque

1) Quidam scil. ex eo quod Pater primo loco nominatur, secundo Filius, tertio Spiritus s., et ex eo quod Pater dicitur per Filium in Spiritu s. creare, inferebant personarum inter se inaequalitatem et earum ad invicem subordinationem. — *Rerum* τῶν πραγμάτων. Per res significat Gregorius naturas vel forte etiam personas et per *rerum seriem* naturarum seu personarum subordinationem.

haec et illa dicat, et segreget (Act. 13, 2), et contristetur (Ephes. 4, 30), et ad iram incitetur, et quaecunque rei motu agitatae perspicue sunt, non autem motionis ipsius? Sin autem substantia est, non accidens, vel creatura censebitur, vel Deus. Medium enim aliquid inter haec, aut quod neutrius particeps sit, aut ex utroque compositum atque conflatum, ne ii quidem, qui Tragelaphos [1]) confinxerunt, intelligere queant. Si creatura, quomodo in eum credimus, aut in eo perficimur? Neque enim idem est, credere in aliquid, et credere de aliquo. Illud enim Divinitati convenit, hoc cuilibet rei. Si autem Deus, certe nec creatura est, nec factura, nec conservus, nec denique ullum aliud humile atque abjectum nomen.

7. Jam lingua tua ad disputandum prosiliat, fundae jactentur, argumenta nectantur. Aut ingenitus omnino est, inquis, aut genitus. Si ingenitus, ergo duo erunt principii expertes. Si autem genitus, rursus subdividis; aut ex Patre genitus est, aut ex Filio. Si ex Patre,

---

1) Τραγέλαφος, priscis species animalis fabulosi, quod erat partim hircus, partim cervus. — In eo perficimur scil. in baptismate, quod ipsius quoque nomine administrandum est, et generatim per gratiam, cujus distributio speciali modo Spiritui sancto adscribitur.

duo igitur sunt filii ac fratres. Gemellos etiam finge, si lubet, aut alterum natu majorem, alterum minorem; cum ita corporeis rebus immersus es. Si autem ex Filio, jam nobis, inquies, nepos Deus extitit. Quo quid absurdius fingi possit? Haec homines ad malefaciendum sapientes (Jerem. 4, 22) et ingeniosi, bona autem scribere recusantes. Ego vero, si divisionem hanc necessariam viderem, res ipsas profecto excepissem, nomina nihil veritus. Non enim, quia secundum excelsiorem quandam relationem Filius est Filius (quod videlicet aliter, quam hoc modo, indicare nequeamus id quod ex Deo est, essentiaque idem cum ipso), idcirco terrena quoque omnia cognationisque nostrae nomina ad Deum necessario transferenda esse putandum est. Alioqui, quid impedit, quominus eadem ratione masculum Deum nostrum existimes, quoniam Deus et Pater nominatur? Ac femineum quiddam Deitatem, quantum quidem ex vocis genere aestimari potest? Et denique Spiritum, neutrum, quoniam nihil gignit? Quod si juxta veteres fabulas et nugas hoc quoque modo luseris, ut dicas Deum cum voluntate sua congressum Filium genuisse, Marcionis quidem ac Valentini, qui novos

Aeonas commentus est, hermaphroditum quendam Deum induxeris.

8. Quoniam porro divisionem tuam primam, qua inter ingenitum et genitum nihil medium esse arbitraris, haudquaquam admittimus, protinus tibi cum praeclara tua divisione fratres illi et nepotes peribunt, ut qui, primo illo disputationis tuae capite, quasi multiplicis cujusdam nexus initio primo soluto, simul quoque soluti ac dilapsi sint, atque a Divinitatis doctrina sese subduxerint. Ubi enim, quaeso, pones id, quod procedit, quod quidem inter duas divisionis tuae partes interjectum esse constat, atque a theologo, multo te praestantiori, nimirum a Salvatore nostro, introducitur? Nisi forte propter tertium tuum testamentum vocem illam ex Evangeliis sustuleris, *Spiritus sanctus, qui a Patre procedit* (Joan. 15, 26); qui, quatenus ab illo procedit, creatura non est: quatenus rursus genitus non est, Filius non est: quatenus autem inter ingenitum et genitum medius est, Deus est. Atque ita vitatis syllogismorum tuorum laqueis, Deus manifeste apparuit, divisionibus tuis firmior et valentior. Quae ergo est haec processio, inquies? Dic tu quae Patris ingenitura sit, et ego Filii generationem et Spiritus processionem ex-

plicare aggrediar, quo fiet ut ambo deliremus, in Dei mysteria oculos injicientes: idque qui tandem? Nempe qui ne ea quidem, quae ante pedes sunt, scire nec arenam maris, aut pluviae guttas et dies seculi enumerare possumus, nedum in Dei profunda penetrare, naturaeque adeo arcanae atque omnem orationis facultatem usque adeo superantis rationes reddere.

9. Quid ergo est, inquiunt, quod Spiritui deest, ad hoc ut sit Filius? Nisi enim aliquid deesset, Filius esset. Deesse nihil dicimus. Non enim Deo quidquam deest. Verum manifestationis, ut ita dicam, mutuaeque eorum relationis differentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit [1]). Neque enim Filio aliquid deest, ad hoc ut sit Pater (nec enim defectus est filiatio), nec propterea tamen Pater est. Alioqui eadem ratione Patri aliquid deerit, ad hoc ut sit Filius. Nec enim Pater

---

1) Ad quaestionem, cur Spiritus s. non sit Filius, patres non adeo libenter respondent ejus veriti difficultatem: quod si respondent, rationes magis extrinsecus adscitas quam ex rei natura petitas afferre solent. Cf. Petavium de Trin. l. 7. c. 13. Rationem vero internam, quam scholae theologi afferre solent, exposuimus in annot. ad Anselmi Monologium c. 39. opusc. 28. p. 116.

Filius est. Sed haec defectum procul dubio undequaque non arguunt, nec essentiae summissionem: quin potius ex his verbis: *Quod genitus non sit, et quod genitus, et quod procedat*, hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur, atque ita inconfusa trium personarum distinctio in una Divinitatis natura et dignitate conservetur. Neque enim Filius est Pater (unus enim est Pater), sed est id quod Pater: nec Spiritus est Filius, quia ex Deo est (unus enim Unigenitus), sed est id quod Filius: tria haec unum, si Divinitatem spectes, et unum tria, si proprietatum rationem habeas: ut nec unum Sabellio faveat, nec tria pestiferae divisioni, quae hac tempestate viget.

10. Quid ergo? Spiritus sanctus est Deus? Maxime. Consubstantialis igitur? Prorsus, siquidem Deus. Da igitur mihi, inquis, ex eodem aliud esse Filium, aliud, quod Filius non sit, et tamen ejusdem cum illo substantiae, ac Deum et Deum admittam. Da tu quoque mihi Deum alium Deique naturam, et tibi eandem Trinitatem cum iisdem nominibus ac rebus dabo [1]). Cum vero Deus

---

1) Acuta plane responsio. Ut exemplo vel similitudine aliqua mysterium ss. Trinitatis undequaque

unus atque una suprema natura sit, unde tandem similitudinem tibi repraesentabo? An rursus postulas ex terrenis et humanis rebus eam duci? Valde profecto turpe est, nec turpe modo, sed etiam valde stultum et inane, ex humilibus rebus superarum coelestiumque simulacrum sumere, rerumque certarum atque constantium ex fluxa fragilique natura, quodque Isaias ait, viventia in mortuis requirere (Isai. 8, 19). Et tamen adnitar, quando ita vis, hinc quoque nonnullam orationi nostrae opem afferre. Atque alia quidem praetermittenda duco, etsi multa de animalium historia commemorare queam, partim nobis nota, partim paucis cognita, quae circa animantium ortus ac generationes natura miro artificio edidit. Gigni etenim dicuntur non modo ex iisdem eadem, atque ex diversis diversa; sed etiam eadem ex diversis, ac diversa ex iisdem. Quod si etiam cuiquam fidem facit hic sermo, alius est generationis modus, ut idem animal a se ipso consumatur et pro-

---

posset illustrari, alia Trinitate opus esset: nam ad illustranda divina omnis claudicat ex creaturis assumpta similitudo, quia ut docet concilium lateranense IV. cap. 2. Damnamus „inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda.“

creetur [1]). Sunt etiam quae, velut quadam naturae magnificentia, a se ipsis quodam modo desciscant, atque ex aliis animalibus in alia transeant atque immutentur. Quin etiam idem animal partim non genitum, partim genitum, et tamen ejusdem substantiae reperire est: quod quidem ad praesentis quaestionis similitudinem propius accedit. Unum quiddam ex nostris ubi commemoravero, quod etiam nemini ignotum est, alio postea transibit oratio.

---

1) Hic Gregorius ad phoenicem alludit, de quo penes veteres mira referebantur. Audiamus quae de eo jam s. Clemens romanus ad illustrandum resurrectionis dogma ep. 1. ad corinthios scribit n. 25: „Contemplemur signum mirabile, quod in orientalibus locis, scil. in Arabia fit. Avis quippe est, quae vocatur phoenix: haec unigena existens, annos vivit quingentos; cumque jam morte dissolvenda est, loculum sibi conficit e thure et myrrha et reliquis aromatibus, quem completo tempore ingreditur et obit: ex carne vero ejus putrefacta vermis quidam nascitur, qui animalis defuncti humore nutritus plumescit: deinde fortior factus loculum illum, ubi antecessoris ossa deposita sunt, sustollit, ea portans ex Arabica regione ad Aegyptum et urbem, quae dicitur Heliopolis, vergit; et interdiu spectantibus omnibus advolans, super altare solis illa collocat, atque ita retrorsum proripit se. Itaque sacerdotes commentarios temporum diligenter inspiciunt, et inveniunt avem expleto anno quingentesimo venisse.“

11. Quid tandem Adamus erat? Dei figmentum. Quid Eva? Figmenti segmentum. Quid Seth? Utriusque soboles. Idemne porro tibi esse videntur, figmentum, segmentum et soboles? Quidni? Age, ejusdemne haec essentiae inter se sunt, an diversae? Ejusdem. In confesso igitur est, ut quae varie existunt, eandem tamen essentiam habeant. Nec vero haec eo a me dicuntur, quod fictionem, aut sectionem, aut aliquid aliud ex his, quae corporis natura fert, in Divinitatem conferam (nec enim mihi rursus pugnax quispiam argutator insidiose immineat), sed ut in his rebus ea, velut in scena, spectem, quae nonnisi intellectu percipiuntur. Neque enim fieri potest, ut imago ulla et similitudo rei veritatem plane perfecteque assequatur. Sed dicunt, quorsum haec? Nec enim unius ejusdemque alter filius, alter aliud quidquam. Quid igitur? Eva et Seth nonne ex eodem Adamo sunt? Ex quo enim alio? Utrum autem ambo ex eo geniti sunt? Minime. Quid ergo? Altera segmentum est, alter filius: atqui ambo inter se idem sunt: homines enim: nemo est qui inficietur. Desinesne igitur adversus Spiritum dimicare, quasi videlicet aut genitus omnino sit, aut consubstantialis non sit, nec Deus, praesertim cum ex humana

quoque similitudine sententiam nostram haudquaquam impossibilem esse intellexeris? Equidem tibi jam belle esse existimo [1]), nisi pervicaciter admodum contendere manifestisque rebus obluctari decreveris.

12. Sed quis, inquies, Spiritum adoravit? Quis vel veterum, vel recentium? Quis eum oravit? Quo Scripturae loco eum adorandum aut orandum esse proditum est? Unde hoc hausisti? Nos hujus rei pleniorem causam postea reddemus, cum de non scriptis dogmatibus disseremus. Nunc vero hoc dicere sufficiet. Spiritus est, in quo adoramus, et per quem oramus. *Spiritus enim*, inquit, *est Deus: atque eos, qui ipsum adorant, in Spiritu et veritate oportet adorare* (Joan. 4, 24). Ac rursus, *Quid enim oremus, quemadmodum oportet, nescimus. Sed Spiritus ipse interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (Rom. 8, 26). Et alio loco: *Orabo Spiritu, orabo et mente* (1. Cor. 14, 15), id est, in mente et Spiritu. Ergo *Spiritu adorare vel orare* mihi nihil aliud esse videtur, quam ipsum sibi ipsi orationem vel

1) *Belle esse existimo* ἐγὼ μὲν οἶμαί σοι (al. σε) καλῶς ἔχειν, te bene vel recte affectum puto, vel etiam te plane posse esse contentum hac expositione, nisi etc.

adorationem offerre. Eamque sententiam quis est qui non comprobaturus sit, de magnis ac divinis viris loquor, quique probe norunt unius adorationem trium adorationem esse, propter aequalem trium personarum dignitatem ac divinitatem? Sed ne illud quidem extimescam, quod omnia per Filium facta esse (Joan. 1, 3) dicuntur, tamquam in rerum universitatem Spiritus quoque sanctus aggregandus sit. Omnia enim, quaecunque facta sunt (Ibid.), dicit Evangelista, non omnia simpliciter. Nam ne ipse quidem Pater, nec omnia ea, quae facta non sunt. Proba ergo Spiritum factum ac procreatum esse, ac tum Filio eum da, et in creaturarum numero colloca. Quamdiu autem id probare atque ostendere nequiveris, nihil tibi ad impietatem adjumenti complexio illa allatura est. Si enim factus est, per Christum utique: ne ipse quidem inficias ivero. Si autem factus non est, quomodo aut rerum universarum numero includetur, aut per Christum factus erit? Proinde desine, et Patrem in Filii contumeliam male honorare (malus enim honor est, Patrem Filio privare, utcunque eum praestantiorem creaturam esse concesseris), et Filium in Spiritus sancti ignominiam. Non enim conservi opifex est, sed cum eo, qui pari digni-

tate est, glorificatur. Nihil Trinitati ex te ipso tribue [1]), ne a Trinitate excidas. Nullo modo unam illam naturam ac peraeque venerandam trunca. Alioqui si quid ex tribus everteris, totum everteris, imo a toto excideris. Praestat exiguum quoddam unionis illius simulacrum capere, quam profligata quadam audacia in omnem impietatem prorumpere.

13. Venit jam ad praecipuum disputationis caput oratio; ac quaestionem quidem, quae jampridem oppressa est et extincta, atque fidei cessit, hoc tempore renovari doleo et ingemisco: adversus rabulas tamen stare necesse est, ac providere, ne velut deserta causa vincamur, qui Verbum habemus Spiritusque patrocinium suscipimus. Si Deus, inquiunt, et Deus, et Deus, quid causae esse potest, quin tres sint dii, aut quin plurium deorum principatum colamus? Quinam haec? Hi nempe, qui perfectiores impietate sunt, aut etiam qui secundas partes tenent [2]), hoc est, qui de Filio rectius sentiunt. Sermo enim

---

1) *Nihil Trinitati ex te ipso tribue* μηδὲν μετὰ σεαυτοῦ θῇς τῇς τριάδος, nihil quod tuum est, ut esse creatum etc., tribue Trinitati seu uni ex ss. Trinitatis personis.

2) Secundas partes tenebant macedoniani, qui tantum in Spiritum s. blasphemi erant.

mihi, partim adversus ambos communis est, partim adversus hos proprius et peculiaris. Ac cum his quidem ad hunc modum agemus. Quid Tritheitis [1]) nobis dicitis, qui Filium colitis, etsi a Spiritu descivistis? Vos autem non Bitheitae? Nam si Unigeniti quoque cultum et adorationem abjuratis, haud dubie ab adversariorem partibus statis: ac proinde quid est, quamobrem lenius humaniusque vobiscum agamus tamquam non omnino mortuis et extinctis? Si autem colitis, atque hactenus saltem salubriter affecti estis, ex vobis quaeremus, qua ratione a Bideitatis crimine vosmet vindicare queatis, si quis eam vobis

1) τριθείταις, trium deorum cultoribus. Ita macedoniani per contemptum vocabant catholicos. Jam vero advertit s. Gregorius, eos aequo jure posse dici διθείται, quod saltem Patrem et Filium colerent. Quod si vero Filii cultum abjuraverint, eos esse arianos, quos supra dixerat *perfectiores in impietate.* Censet vero s. Gregorius cum macedonianis, qui Filii divinitatem admittebant, lenius humaniusque esse agendum, quod non omnino essent mortui et extincti ὡς οὐ πάντη νενεκρώμενοι. Hoc vero non dixit, quasi negationem divinitatis s. Spiritus haeresim non adeo noxiam putaret, sed comparatione longe pejoris impietatis arianae; praesertim vero idcirco, quod ii, qui jam crederent duas personas divinas aequales, facilius sanari et induci possint, ut admittant tres, quam illi, qui ss. Trinitatis mysterium penitus evertunt, ut ariani.

objiciat? Si est vobis sermo prudentiae, respondete, nobisque etiam respondendi ansam praebete. Illae enim rationes, quibus Bideitatis crimen propulsabitis, eaedem quoque nobis ad Trideitatis crimen propellendum sufficient. Atque ita causam obtinebimus, vos, qui accusatores estis, patronos habituri. Quo quid fortius et generosius?

14. At vero quodnam nobis est cum utrisque certamen, et quaenam oratio? Nobis Deus unus est, quoniam una Deitas; atque ad unum ea, quae ex eo sunt, referuntur, etiamsi tres personas credamus. Neque enim hoc magis, illud minus est Deus; nec hoc prius, illud posterius. Nec voluntate scinduntur, nec potentia dividuntur, nec denique quidquam eorum, quae dividuis rebus contingunt, hic quoque reperitur. Sed individua in dividuis, ut uno verbo dicam, est Divinitas, ac velut in tribus solibus inter se cohaerentibus una lucis commixtio et temperatio. Cum ergo ad Divinitatem primamque illam causam, uniusque principatum et imperium respexerimus, unum est quod mentis nostrae oculis obversatur. Cum rursus ad ea, in quibus est Divinitas, et quae ex prima illa causa, citra ullam temporis intercapedinem ac pari gloria sunt, tria sunt quae adorantur.

15. Quid autem, dixerint fortasse, nonne apud ethnicos quoque Deitas una est, ut docent qui plenius apud illos perfectiusque philosophantur, atque apud nos genus universum humanitas una? Et tamen plures sunt dii, et non unus, sicut etiam multi homines. At illic communitas unitatem habet, quae cogitatione sola considerari possit [1]: singularia autem et tempore, et affectionibus, atque adeo potentia et facultate plurimum inter se divisa sunt. Nam nos non solum compositi sumus, sed etiam, tum inter nos mutuo, tum nobis etiam ipsis oppositi; ut qui ne unius quidem diei spatio, nedum toto vitae curriculo, plane iidem maneamus, verum et corporibus et animis perpetuo diffluamus et immutemur. Atque haud scio, num idem quoque in angelis locum habeat, ac in omni illa coelesti natura et Trinitati proxima; tametsi alioqui simplici quadam natura praediti sint,

---

1) Cf. quae annotavimus opusc. 6, 148. Satis clare autem hic significat, unitatem divinae naturae talem non esse, qualis est unitas naturae humanae; haec enim logica tantum est. Unitas vero divinae naturae est realis, objectiva, unitas singularitatis, licet natura divina tribus in personis subsistat. Ideo tres personae non sunt tres dii, sed tres personae humanae sunt tres homines.

atque ob vicinitatem eam, quam ad summum bonum habent, in bonum firmius defixi.

16. Jam deos illos, quos ethnici colunt, ac daemones, ut ipsimet vocant, nihil a nobis accusari necesse est, cum a suismet theologis [1]) convincantur, quam foedis affectibus obnoxii, quam turbulenti sint, quot malis scateant, quot mutationes subeant, atque non mutuo solum inter se, sed etiam primis illis causis adversentur, quos Oceanos, et Tethidas, et Phanetas [2]), et nescio quo alio nomine appellant; ac postremo Deum quendam ob principatus amorem liberis suis infestum, atque alios omnes prae inexplebili cupiditate devorantem, ut et hominum omnium pater sit et deorum, quos misere comederit et evomuerit. Quod si haec ipsi, ut sermonis turpitudinem fugiant, fabulosa atque allegorico sensu interpretanda esse contenderint, quid tandem ad illud dicent *trifariam omnia divisa esse* [3]), aliumque alii cuipiam orbis parti

1) Graecorum theologi in primis sunt Hermes, Orpheus, Homerus, Plato et Aristoteles.

2) Oceanos, Thethidas et Phanetas intelligit Gregorius deos, qui juxta poetas mari, terrae vitalique facultati praesidere finguntur; per *Deum quendam* Saturnum.

3) *Trifariam omnia divisa esse.* Haec sunt Homeri Iliad. 14. v. 189. — *Materiis* ταῖς ὅλαις,

praeesse, atque et materiis et dignitatibus distinctos esse? At nostrae doctrinae non eadem est ratio; *Nec pars haec Jacob* (Jerem. 10, 16), ut inquit meus Theologus. Sed horum quodlibet unitatem habet, non minus ejus, cum quo conjungitur, quam sui ipsius respectu, propter essentiae et potentiae identitatem. Atque haec unionis hujus ratio est, quantum quidem ipsi percipimus. Ac siquidem firma est haec ratio, Deo ob hujusmodi speculationem gratias ago: sin minus, firmiorem aliam conquiremus.

17. Tua porro argumenta, quibus nostram illam unionem evertere conaris, statuere nequeo, ludentisne potius, an serio agentis esse dicamus. Quodnam enim est hoc argumentum? Ea, quae ejusdem essentiae sunt, connumerantur, inquis (connumerationem videlicet appellans in numerum unum contractionem [1]), quae autem disparem substantiam

---

elementis, quibus praesunt. — *Sed horum* scil. personarum divinarum.

1) Graece: συναρίθμησιν λέγων τὴν εἰς ἀριθμὸν ἕνα συναίρεσιν. Adversariorum haec est objectio: Quae ejusdem essentiae sunt connumerantur, numerum faciunt. Si ergo Pater est Deus et Filius est Deus et Spiritus s. est Deus et si sunt ejusdem substantiae, connumerari debent et hinc tres esse deos dicendum est. Sicut Petrus homo et Paulus homo et Jo-

habent, minime connumerantur. Unde vos quidem ex eo elabi non potestis, quin juxta hanc rationem, tres deos asseratis. Nobis autem nullum tale periculum imminet. Non enim ea consubstantialia esse profitemur. Respondeo: Unica voce te ipsum negotio ac

---

annes homo tres sunt homines. Contra quae sunt diversae substantiae non connumerantur, sed seorsim et divisim sunt indicanda. Ita homo et lapis neque duo sunt homines, neque duo lapides dici possunt, sed seorsim et divisim significandi sunt et dicendum, unus homo et unus lapis. Hinc putabant tritheismi accusationem in catholicos conjectam retorqueri in ipsos non posse, quod admitterent tres personas diversae naturae Jam vero s. Gregorius 1. eos (hoc. n.) proditionis arguit, quod tam aperte negarent Filii et Spiritus s. divinitatem, quam tamen alibi licet deminutam admittebant. Negat dein 2. n. seq. principium statutum, cum in divinis literis et ea, quae diversae sunt naturae, connumerentur, et quae ejusdem sunt naturae seorsim et divisim ab invicem recenseantur. Cum vero exciperent n. 19. adversarii, principium a se statutum valere non quidem si aliqua generatim connumerantur, sed si connumerentur sub certo nomine et specie, ut si dicantur tres homines, tres dii, reponit s. doctor 1. hanc eorum regulam esse arbitrariam; 2. aeque jure posse postulari, aut tunc tantum tres homines possint connumerari, si omnes tres sint non tantum homines, sed et ex. gr. Petri; 3. adversari s. Scripturae, quae ejusmodi regulam non novit; 4. exemplis probat eam falsam esse,

molestia liberasti, malamque victoriam adeptus es: idemque tibi accidit, quod iis, qui mortis metu sibi ipsis laqueo vitam adimunt. Etenim, ne in defendendo unius principatu desudes, Deitatem negasti, hostibusque id, quod quaerebant, prodidisti. Ego vero, etiamsi quid laboris subeundum sit, non tamen prodam id quod adoratur. Quamquam ne hic quidem video, quis labor suscipiendus sit.

18. Connumerantur, inquis, ea, quae eandem substantiam habent: quae autem substantia inter se differunt, singularem indicationem habent. Unde hoc, et a quibus doctoribus aut fabulatoribus accepisti? Illudne te fugit, numerum omnem hanc vim habere, ut subjectorum quantitatem, non item rerum naturam, explicet? Ego vero ita simplex, vel imperitus potius sum, ut tria quidem ea nominem, quae totidem numero sunt, etiamsi substantia differant: unum autem, et unum, et unum, totidem unitates, etiamsi substantia conjungantur, non magis videlicet res ipsas intuens, quam rerum quantitatem, juxta quam enumeratio ipsa sit. Quoniam autem mordicus literam retines, etsi alioqui literae bellum inferens, illinc mihi probationes hasce accipe. Tria in Proverbiis sunt, quae recte incedunt, leo, hircus et gallus: et quarto loco,

rex apud populares suos concionem habens (Prov. 30, 29. et seqq.); ut reliquas illas natura distinctas quaternitates, quae illic recensentur, silentio praetercam. Duos etiam Cherubim (Exod. 37, 7. et seqq.) apud Moysem invenio, qui separatim numerantur. Quomodo ergo vel illa tria sunt, sicut ars tua praescribit, cum natura atque substantia adeo inter se discrepent: aut haec singularia, quae natura inter se adeo aequalia sunt et copulata? Nam si dominos illos duos Deum et mammonam commemorare velim (Matth. 6, 24), qui numero uno efferuntur, cum usque adeo inter se disjuncti sint, magis quoque fortasse me ob hanc connumerationem ridendum propinarem.

19. At, inquis, ea connumerari dicuntur ejusdemque essentiae esse, quibus nomina ipsa respondent, cum efferuntur: ut homines tres, et dii tres, non autem tria haec, aut illa. Quae enim est haec relata responsio? Nimirum hoc jam hominis est legem nominibus praescribentis, non verum dicere instituentis. Alioqui mihi quoque pari eadem ratione Petrus, et Paulus, et Joannes non tres erunt, nec consubstantiales, quamdiu non tres Petri, aut tres Pauli, aut totidem Joannes non dicentur. Quod enim tu in generalibus nomi-

nibus retinuisti, hoc nos quoque juxta commentum tuum in specialibus postulamus. Injuste enim feceris, nisi, quod accepisti, dederis. Quid Joannes? Cum in catholicis epistolis suis tres esse ait, *qui testimonium dant, Spiritum, aquam et sanguinem* (1. Joan. 5, 8), videturne tibi delirare? Primum, quia res substantia diversas connumerare ausus est, quod tu consubstantialibus tantum tribuis. Quis enim haec unius ejusdemque substantiae esse dixerit? Alterum, quia modo minime congruenti voces sequentes subjunxerit; sed cum tres masculino genere proposuisset, tria neutro genere subjunxit, contra quam tuae atque ipsius etiam grammaticae leges ferant. Verum quid interest, aut cum tres masculino genere praeposueris, unum, et unum, et unum subjicere: aut cum unum, et unum, et unum dixeris, non tres, sed tria appellare? Id quod tu in Deitate admittere gravaris. Jam, quid tibi cancer, qui et animal est et organum, et sidus? Quid canis, qui terrestris est, et marinus, et coelestis? Nonne tres cancri, aut canes tibi dici videntur? Ita profecto. An ergo proinde quoque consubstantiales sunt? Quis sanus hoc dixerit? Videsne quomodo tibi hoc connumerationis argumentum, tot tantisque rationibus confu-

tatum, corruerit? Nam cum nec consubstantialia semper connumerentur, et quae disparis essentiae sunt, interdum connumerentur, et tamen in utrisque nomina simul efferri perspiciamus, ex tuis dogmatibus quid tibi accessit?

20. Quin illud etiam expendo, nec fortasse temere atque absurde. Unum et unum, nonne simul juncta duo constituunt? Duo rursus nonne in unum et unum resolvuntur? Ita sane. Si ergo consubstantialia quidem sunt, quae componuntur, ut ipse argutaris, diversae autem substantiae sunt, quae secantur, quid ex eo consequetur? Nimirum res easdem et ejusdem et diversae essentiae esse [1]). Nec vero facere possum, quin tuas praenumerationes ac subnumerationes rideam, quibus tu perinde gloriaris, ac si res ipsae in vocabulorum ordine sitae sint. Nam si ita est, quid impedit, quominus eadem ratione, quoniam eadem, propter aequalem naturae praestantiam, in sacra Scriptura nunc priori, nunc posteriori loco numerantur, sint quoque ipsa se ipsis, tum excellentiora, tum abjectiora? Quod idem dicendum etiam habeo de his vo-

---

1) *Ejusdem et diversae esse essentiae*, quia modo connumerantur, modo divisim ab invicem ponuntur.

cibus, *Deus* et *Dominus*; atque insuper de his praepositionibus, *ex quo*, *per quem et in quo* (Rom. 11, 36), quibus tu divinum illud nomen ad artis praescriptum exigis, primam scilicet Patri, alteram Filio, tertiam Spiritui sancto assignans. Quid enim fecisses, si quaelibet ex his praepositionibus unicuique personae constanter tribueretur; cum tametsi omnes cum omnibus promiscue construantur, ut studiosis et accuratis lectoribus perspicuum est, tantum ipse per eas et dignitatis et naturae diversitatem inducas? Sufficiunt haec quidem hominibus non nimis iniquis ac praeposteris. Sed quia tibi difficile est, cum semel in Spiritum sanctum insilieris, impetum comprimere, ac non potius, ferociorum aprorum instar, ad extremum usque pertinaciter contendere, teque in gladium ipsum impellere, quoad totum vulnus pectore exceperis: age, quae tibi ratio supersit, videamus.

21. Identidem saepiusque nobis inculcas, Spiritus sancti Divinitatem nullo Scripturae loco proditam haberi. Enimvero quod nec novus ac peregrinus, nec introductitius ipse sit, verum et a priscis et hujus aetatis hominibus [1]) agnitus ac patefactus, quamquam

1) Respicit hic in primis s. Basilium, amicissi-

a compluribus jam ostensum est, qui de hac re disseruerunt, atque in divinis Scripturis, nec ignave, nec perfunctorie versati sunt, sed literam penetrantes atque intro prospicientes, reconditam pulchritudinem divino beneficio viderunt, scientiaeque luce collustrati sunt: tamen nos quoque cursim, quantum res patitur, ostendemus; ne alioqui supervacaneam quandam operam sumere, ac plus aequo ambitioni indulgere videamur, super fundamentum alienum aedificantes. Quod si, quia non admodum dilucide in Scriptura, nec saepe nominatim Deus appelletur, quemadmodum Pater prius, et postea Filius, blasphemiae ac supervacaneae hujus loquacitatis et impietatis ansam praebet; nos tibi hoc incommodum depellemus, posteaquam de rebus et nominibus, ac potissimum de Scripturae more atque usu nonnihil dixerimus.

22. Rerum ergo aliae non sunt, sed dicuntur: aliae cum sint, minime dicuntur: aliae nec sunt, nec dicuntur: aliae denique et sunt et dicuntur. Horum probationes a me exposcis? Impiger exhibebo. Dormit (Psal. 77, 65)

---

mum suum in episcopatu collegam, qui ante paucos annos (c. a. 375.) praeclarum de Spiritu s. volumen ediderat, in quo ejus divinitatem probat et prolixe ad omnes difficultates et tricas respondet.

in Scriptura Deus, et vigilat (Dan. 9, 14), et irascitur (Isai. 5, 25), et proficiscitur (Gen. 11, 5), et pro throno cherubinos habet (Isai. 37). Quid audio? Fuitne unquam ille affectionibus obnoxius? Quando Deum esse corpus audisti? Ergo hoc, cum non sit, effictum est. Ex nostris enim rebus ea, quae Dei sunt, ut potuimus, nominavimus. Cum seorsim quidem a nobis quiescit, ac velut nostri curam ob eas, quas ipse perspectas habet, causas abjicit, dormire dicitur. Nam nos quoque, dum dormimus, omni agendi facultate caremus. Idem, cum repentina mutatione beneficiis nos afficit, vigilare dicitur. Somni enim depulsio est vigilia, quemadmodum aversationis visitatio. Jam cum in aliquem animadvertit, irasci eum finximus. Sic enim nos ira ad puniendum incitamur. Quod autem nunc hic, nunc illic operatur, incedere dicitur. Ab alio enim ad aliud transitus, profectio est. Quod vero in sanctis illis et coelestibus mentibus conquiescat, ac velut libenter immoretur, sedere atque in throno esse nuncupavimus; quod ipsum quoque nostrum est. Deus enim nulla in re perinde ut in sanctis acquiescit. Jam levitatem ejus motusque celeritatem volatum appellat Scriptura; visitationem vultum, largitionem etiam et acceptio-

nem manum; atque, ut in summa dicam, alia quaedam Dei vis et facultas aliud quidpiam rerum corporearum nobis depinxit.

23. Rursum undenam tu arces illas tuas *ingenitum* aut ἄναρχον (hoc est principii expers) accepisti, aut nos etiam immortalis vocem? Haec nominatim et expresse ostende, ea vel rejiciemus, quia in Scriptura non extant, vel expungemus. Atque ita tuismet ipse principiis oppressus interibis, eversis nimirum tibi vocabulis illis perfugiique moenibus, in quibus confidebas. Nonne perspicuum est haec de iis sumpta esse, ex quibus colliguntur, tametsi minime dicantur? Quibus tandem? *Ego sum primus, et ego post haec.* Et, *Ante me non est alius Deus, et post me non erit* (Isai. 41, 4. et 43, 10). Totum enim illud *est*, meum est; nec principium habens, nec finem habiturum. His a Scriptura acceptis, illud quidem, quod ante eum nihil sit, nec antiquiorem ullam ipse causam habeat, ἄναρχον et *ingenitum* appellasti: quod autem nunquam esse desiturus sit, immortale atque interitus expers. Ac duo prima rerum genera ad hunc modum se habent. Quaenam autem nec sunt, nec dicuntur? Improbus Deus, quadrata sphaera, praeteritum tempus praesens est, homo compositus non est. Ec-

quem enim unquam eo stuporis progressum cognovisti, ut aliquid tale, vel cogitare, vel pronunciare ausus sit? Reliquum est ut ostendam quae sint ea, quae et sunt et dicuntur. Deus, homo, angelus, judicium, vanitas, qua hujusmodi argumenta conficiuntur, fideique subversio et mysterii evacuatio.

24. Cum ergo in nominibus et rebus tantum discrimen reperiatur, quid causae est, cur literae tantopere servias, judaïcaeque sapientiae te ipsum adjungas, relictisque rebus syllabas consecteris? Quod si te bis quinque, aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem; aut ex eo, quod animal ratione praeditum et mortale diceres, hominem esse concluderem, an tibi nugari viderer? Et quo pacto id fieri posset, cum tua dicam? Neque enim verba magis sunt ejus qui loquitur, quam illius qui loquendi necessitatem affert. Quemadmodum igitur hic, non ea magis quae dicuntur, quam quae intelliguntur, respicerem; eodem modo nec, si quid aliud eorum, quae vel nullo modo, vel certe non satis aperte dicuntur, ex Scriptura tamen intelligi colligique reperirem, adeo te vocabulorum sycophantam pertimescerem, ut ab enunciatione ipsa refugerem [1]).

1) Non defugerem idipsum efferre te vocabulorum

Atque ad hunc modum adversus eos stabimus, qui dimidia ex parte recte sentiunt. Tibi enim, qui Filio quoque bellum indicis, ne hoc quidem dicere liceat. Nam qui tot tamque perspicuas ipsius appellationes abnegas, ne his quidem procul dubio movereris, etiamsi multo plures apertioresque cognosceres. Sed jam altius aliquanto sermonem repetens, vobis, tametsi sapientibus et eruditis, omnis aenigmatici sermonis causam explicabo.

25. Duae ex omni aevo illustres vitarum mutationes extiterunt, quae etiam duo Testamenta, atque ob rei celebritatem terrae motus appellantur: altera a simulacrorum cultu ad Legem, altera a Lege ad Evangelium. Ac tertium etiam terrae motum (Hebr. 12, 26) Scriptura nobis annunciat, nempe migrationem ab hac vita ad alteram illam motus omnis et jactationis expertem. Idem porro duobus Testamentis accidit. Quid illud? Non subito, nec ad primam aggressionis impulsionem commutata sunt. Quamobrem? (Id enim scire operae pretium est.) Ut ne vi pertraheremur,

---

sycophantam pertimescens i. e. non abstinerem Spiritum s. Deum aperte praedicare, etiamsi alioqui non ita fortasse dilucide in Scripturis Spiritus s. dicatur Deus ut Pater et Filius, quandoquidem id e pluribus Scripturae locis colligi possit.

sed persuasione adduceremur. Quod enim voluntarium non est, ne diuturnum quidem est; quemadmodum nec fluenta, aut stirpes, quae per vim retinentur. Quod autem voluntarium est, tum diuturnius est, tum certius. Atque alterum ejus est, qui vim intulit: alterum nostrum. Alterum divinae benignitatis: alterum tyrannicae potestatis. Quocirca Deus minime faciendum sibi duxit, ut invitos beneficiis afficeret, sed ut de volentibus bene mereretur. Ac proinde paedagogi cujusdam et medici more patrios ritus partim subtrahit, partim concessit, nonnihil videlicet eorum voluptati indulgens, quemadmodum medici aegrotantibus, ut medicamentum, suavioribus rebus arte temperatum et edulcatum, admittant. Neque enim facile est ab iis, quae longo usu et diuturno tempore in honore ac pretio fuerunt, ad alia transilire. Ergo prima Lex, sublatis idolis, sacrificia permisit. Secunda, submotis sacrificiis, circumcisionem minime prohibuit. Ac postea, ut semel subtrahi sibi aliquid aequo animo tulerunt homines, rebus etiam sibi concessis, hoc est, illi sacrificiis, hi circumcisione, abstinuerunt, atque, ut ex ethnicis judaei, ita ex judaeis christiani facti sunt, per mutationes quasi furtim ad Evangelium perducti. Hujus rei tibi fidem faciat

Paulus, qui ex eo quod circumcidebat ac purificabatur (Act. 16, 3. et 21, 26), eo tandem progressus est, ut diceret: *Ego autem, fratres, si circumcisionem praedico, quid adhuc persecutionem patior* (Galat. 5, 11)? Illud dispensationis erat; hoc perfectionis.

26. Huic exemplo Divinitatis doctrina comparari potest, nisi quod contrario modo res procedit. Illic enim ex subtractione mutatio fiebat: hic autem ex accessione atque incremento ad perfectionem ventum est. Sic enim se res habet: Vetus Testamentum Patrem aperte praedicabat, Filium obscurius. Novum autem nobis Filium perspicue ostendit, et Spiritus Divinitatem subobscure quodam modo indicavit. Nunc vero Spiritus ipse nobiscum versatur, seseque nobis apertius declarat. Neque enim tutum erat, Patris Divinitate nondum confessa, Filium aperte praedicari: nec, Filii Divinitate nondum admissa, Spiritum sanctum, velut graviorem quandam, si ita loqui fas est, sarcinam nobis ingeri: ne alioqui, velut cibis ultra vires gravati, ac solis radiis hebetes oculos adjicientes, iis quoque, quibus praediti eramus, viribus periclitaremur: quin tacitis potius accessionibus, et, ut David loquitur, ascensionibus (Psal. 83, 6), atque e claritate in claritatem pro-

gressionibus et incrementis Trinitatis lumen splendidioribus illuceret. Ob hanc causam, ut opinor, ad discipulos quoque sigillatim se confert, ad excipientium videlicet captum modulumque sese impertiens; nimirum in Evangelii principio virtutes perficiens (Luc. 9, 1), post Christi passionem insufflatus (Joan. 20, 22), post ascensum in igneis linguis apparens (Act. 2, 3). Quinetiam ab ipso Jesu paulatim declaratur, ut ipse quoque comperies, si animum diligentius adverteris. *Rogabo enim Patrem*, inquit, *et alium Paracletum mittet vobis, Spiritum veritatis* (Joan. 14, 16). Quae quidem verba eo dixit, ne adversarius quispiam Dei esse, aut quasi de alia quadam potestate sermonem facere videretur. Postea, *mittet quidem*, ceterum *in nomine meo* (Ibid. 26). Hic, omissa voce *rogabo*, vocem *mittet* retinuit. Mox *mittam* (Id. 16): ut propriam auctoritatem ostendat. Tum denique, *veniet* (Joan. 16, 8): quo verbo Spiritus potestas indicatur.

27. Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes, theologiacque ordinem, quem nobis quoque tenere praestiterit, ut nec repente atque confertim omnia in lucem efferamus, nec in finem usque occultemus. Illud enim inconsultum atque ab arte alienum fuerit,

hoc impium: illud alienos offendere ac vulnerare queat, hoc nostros a nobis abalienare. Enimvero id, quod quibusdam quoque aliis fortasse in mentem venit, ego tamen animi mei foetum esse existimo, superioribus adjungam. Habebat quaedam Salvator, quae a discipulis, licet alioqui multiplici doctrina implerentur, tunc tamen portari posse negabat (Ibid. 12), ob eas fortasse, quas attuli, causas, atque idcirco ea ipsis occultabat. Ac rursus dicebat fore ut ab adveniente Spiritu omnia edocerentur (Id. 14, 26). Ergo unum ex eorum numero esse censeo, ipsam Spiritus sancti Deitatem, in posterum apertius declarandam, tum videlicet, cum jam post Salvatoris in integrum restitutionem, matura et perceptibilis esset ipsius cognitio, utpote cui ob tam insigne miraculum fides non jam abrogaretur. Quid enim hoc majus, vel ille polliceri, vel Spiritus docere potuisset? Si modo magnum aliquid existimandum est, Deique magnificentia dignum, quod promittebatur, vel quod docebatur.

28. Ac de his ita sentio, utinamque sentiam, et quisquis mihi amicus est, colamusque Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, tres proprietates, unam Divinitatem, nec gloria, nec honore, nec essentia, nec regno

divisam, ut quispiam, divino numine afflatus, non ita pridem philosophatus est [1]). Nec luciferum exorientem (Job, 11, 17), ut cum Scriptura loquar, nec coelestis splendoris gloriam, quisquis aliter sentit, aut tempori obsequitur, aliam aliamque subinde formam assumens, putidumque de maximis rebus consilium capiens. Si enim Spiritus adorandus non est, quomodo me deum per baptismum effecit [2])?

---

1) Juxta Eliam Gregorius Thaumaturgus hic designatur, qui in sua Apocalypsi verbis hisce utitur.

2) Argumento ex baptismi forma derivato patres libentur utuntur ad s. Spiritus divinitatem confirmandam. Ut vero ejus vis perspiciatur, haec ex ordine considerentur: 1. Conjungitur et adnumeratur Spiritus s. Patri et Filio in ritu fundamentali religionis christianae maximeque ad salutem necessario, quo 2. homines mundantur a peccatis, regenerantur, sanctificantur totique transeunt in peculium Dei. Tanta vero 3. invocationis hujus nominis est necessitas, sicut invocationis Patris et invocationis Filii, adeo ut ea praetermissa invalidus sit baptismus. „Quem si in baptismate, inquit Vigilius tapsensis l. 2. c. arianos et sabellianos n. 37., non nominaveris, frustra videbitur mysterium omne, perfectum non erit sacramentum. Incassum quippe Patris et Filii nomine uteris illo non nominato.“ Cf. etiam Fulgentium ep. 8. n. 18; fragmento 37. c. Fabianum; Basilium de Spiritu s. c. 12; Didymum de Spiritu s. n. 24. Invocantur autem 4. tres personae non sub nomine proprio et distincto, sed sub uno communique nomine. Cum ergo in tanto opere tanta

Si autem adorandus, annon colendus et venerandus? Si porro venerandus, annon Deus? Unum uni cohaeret, ac vere aurea quaedam et salutaris est haec catena. Et quidem a Spiritu regnerationem habemus, a regeneratione instaurationem, ab instauratione cog-

necessitate Spiritus s. conjungitur Patri et Filio, liquet eum esse ejusdem auctoritatis, virtutis, honoris, majestatis, verbo divinitatis cum Patre et Filio. Praeclare Hieronymus in Eph. 4, 5: „Et baptisma unum, eodem enim modo et in Patrem et in Filium et in Spiritum s. baptizamur. Et ter mergimur, ut Trinitatis unum appareat sacramentum. Et non baptizamur in nominibus Patris et Filii et Spiritus s., sed in uno nomine, quod intelligitur Deus. Et miror qua consequentia in uno vocabulo, eodem opere et eodem sacramento naturae diversitatem Arius, Macedonius et Eunomius suspicentur (concordante in impietate discordia), et creatura in Filio et Spiritu s. coenosum fontem tenentes diversos haereseos rivulos duxerint.“ Et aliis praetermissis Faustinus de Trinit. l. 7. § 3: „Sed et cum praecipit Dominus, ut gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus s. baptizentur, apertissimum est, Spiritum s. non esse creaturam, vel ex ipsa societate, quae illi una cum Patre et Filio est, vel quod nunquam praeciperet Dominus, ut in creaturae nomine aliquis baptizaretur: multum enim divinae potentiae derogaretur, si cum confessione divini nominis par quoque creaturae confessio poneretur. Et bene quod unum nomen posuit dicens in nomine Patris et Filii et Spiritus s., ut una principalis auctoritas crederetur indivisibilis et perfectae Trinitatis.“ Cf. etiam annot. opusc. 18, 14.

nitionem dignitatis illius, a quo instaurati sumus.

29. Haec quidem sunt, quae ab eo afferri queant, qui Spiritus Divinitatem nullo Scripturae loco niti concesserit. Jamvero tibi auctoritatum examen prodibit, ex quibus Scripturae testimoniis admodum confirmatam esse Spiritus Divinitatem ostendetur, iis quidem certe, qui non nimis stolidi et obtusi fuerint, atque a Spiritu aversi. Sic autem expende: Nascitur Christus: praecurrit [1]) Spiritus (Luc. 1, 35). Baptizatur ille: hic testimonium affert (Id. 3, 21. et seqq.). Tentatur ille, hic ducit (Ibid. 4, 1). Miracula edit ille, hic comitatur. Ascendit ille: hic succedit (Act. 1, 9. et 2. 4). Quid enim adeo magnum et

1) Pulcherrime hac occasione Augustinus l. 2. c. Maximinum c. 17. n. 2: „Mundus per Filium factus est et creator est Filius: caro ejus, quae data est pro mundi vita, per Spiritum s. facta est, et non est creator Spiritus sanctus?“ Cf. etiam Ambrosium de Spiritu s. l. 2. c. 5. et c. 6. n. 60; Rufinum in Symbolum apost. n. 10; Athanasium de Trinit. et Spiritu s.; Nicetam de Spiritus s. potentia n. 5; Vigilium tapsensem dial. 2. c. arianos n. 13; l. 13. de Trinit.; Fulgentium fragm. 36. c. Fabianum. Ceterum argumentum ex Scripturis derivatum praeclare proponunt episcopi africani apud Victorem Vitensem, historiae persecutionis vandal. l. 3. n. 9. ss. opusc. 22, 179—203.

divinum est, quod non ipse possit? Quod tam divinum nomen est, quo non, excepto ingeniti et geniti nomine, appelletur? Patris enim et Filii proprietates incolumes atque integras ipsis manere conveniebat, ne alioqui apud Divinitatem, quae alia quoque in ordinem et concinnitatem adduxit, confusio existeret. Equidem ipse ad tantam nominum copiam, adversus quam frontem perfricant, qui Spiritui adversantur, totus cohorresco. Spiritus Dei dicitur, Spiritus Christi, mens Christi, Spiritus Domini ac Dominus ipse, Spiritus adoptionis, veritatis, libertatis; Spiritus sapientiae, prudentiae, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis, timoris Dei, utpote horum omnium efficiens, omnia essentia sua implens, omnia continens, mundum quantum ad essentiam implens, interim ipse major quam ut mundus vim illius et potentiam capere possit: bonus. rectus, principalis, natura non gratia sanctificans, non sanctificatus, metiens non dimensus, impertiens non particeps, implens non impletus, continens non contentus, hereditate acceptus, glorificatus, Patri et Filio connumeratus, minaciter denunciatus, Dei digitus, ignis tamquam Deus, ad ostendendum, ut opinor, quod ejusdem essentiae sit: Spiritus qui condidit, qui per bap-

tismum et resurrectionem denuo creat (Joan. 3, 8): Spiritus omnia cognoscens, docens, ubi vult, et quantum vult spirans, ducatum praebens, loquens, mittens!, segregans (Act. 13, 2): Spiritus qui ad iram incitatur, qui tentatur, qui revelat, qui lucem ac vitam affert; imo qui ipsamet lux et vita est: qui templa efficit, deificat, perficit, ita ut et baptismum antevertat, et post baptismum requiratur (Act. 8!, 15; 19, 6): qui omnia efficit, quaecunque Deus ipse, qui in igneis linguis dividitur, qui dona distribuit, qui apostolos, prophetas, evangelistas, pastores et doctores facit (1. Cor. 12, 11): Spiritus intelligens, multiplex, apertus, clarus, incontaminatus minimeque impeditus (Sap. 7, 22) (quod idem valet ac si dicerem, sapientissimus, agendique facultate varius ac multiplex, omnia explicans ac declarans, arbitrii libertate praeditus et immutabilis), omnipotens, omnia lustrans, per omnes spiritus penetrans intelligentes, puros, tenuissimos (1 Cor. 2, 10), (hoc est, per angelicas, ut opinor, virtutes,) quemadmodum et per propheticos et apostolicos, eodem temporis momento, nec tamen in iisdem locis (alii enim eorum alibi fusi ac sparsi erant), quod quidem perspicue ostendit, eum nullius loci circumscriptione coërceri.

30. Qui haec dicunt ac docent, atque insuper *Paracletum alium* (Joan. 14, 16), velut alium Deum nominant, qui blasphemiam solam adversus eum prolatam inexpiabilem esse sciunt (Matth. 12, 31), qui denique Ananiae et Saphirae, postquam Spiritui sancto mentiti essent (Act. 5, 3), perinde ac Deo, non homini, mentiti essent [1]), tam horribilem infamiae notam inusserunt; quid tandem tibi videntur, Spiritumne Deum praedicare, an aliud quid? Quam crassi es ingenii, atque a Spiritu procul remoti, si de hac re dubitas, ac doctore opus habes! Ac tot nominibus, tam vivis et expressis in Scriptura Spiritus apellatur. Quid enim testimonia ipsa tibi ad verbum producere attinet? Quaecunque autem hic quoque humilius dicuntur, velut quod detur, mittatur, distribuatur, charisma etiam, donum, insufflatio, pollicitatio, intercessio, ac si quid aliud hujusmodi, ne singula commemorem, ad primam causam referri debent [2]) ut, ex quo sit, ostendatur, ac non tria principia divisa, proindeque plures dii admittantur. Paris enim impietatis est, vel Sa-

1) Alia plurima patrum testimonia, qui hoc loco ad probandam Spiritus sancti divinitatem utuntur, habes opusc. 22, 190. in annot.

2) Cf. Annot. opusc. 22, 170. n. 3.

bellii more personas connectere, vel Arii instar naturas distinguere ac separare.

31. Enimvero cum mentis curiositate multum diuque mecum considerassem, atque orationem undecunque explorassem, rei tantae imaginem quandam exquirens, cui tandem rerum inferarum divina illa natura comparanda sit, reperire non potui. Quamvis enim exiguam aliquam similitudinem invenerim, major tamen me pars fugit, humique me cum meo exemplo relinquit. Oculum [1]) quendam, et fontem, et fluvium mihi proposui, quemadmodum alii quoque, ut viderem, num Pater cum oculo, Filius cum fonte, Spiritus cum fluvio proportione quadam conveniret [2]). Haec enim, nec tempore distinguuntur, nec ob continuitatem a se invicem abrumpuntur: ac tribus insuper proprietatibus quodam modo scindi videntur. Sed subiit me timor, primum ne fluxio quaedam Divinitatis stabilitatis expers admittatur. Deinde ne per hanc similitudinem unum numero introducatur. Oculus enim, et fons, et fluvius unum sunt numero, varie efformata.

---

1) *Oculum* gr. ὀφθαλμόν hic significat primam scaturiginem.

2) Cf. de hac aliisve comparationibus, quae apud patres occurrunt, opusc. 6, 141 ss. ubi plurimas invenies.

32. Solem rursus, et radium, et lucem cogitavi. Verum hic quoque metuendum est; primum, ne incompositae naturae compositio quaedam excogitetur, quemadmodum solis et eorum, quae soli insunt; deinde, ne Patri quidem essentiam tribuamus, reliquos autem subsistere negemus, sed facultates quasdam Dei constituamus, quae ipsi quidem insint, non autem per se subsistant. Neque enim radius, aut lux alii soles sunt, sed solis velut rivi quidam et substantiales qualitates. Ac praeterea, ne simul et esse et non esse Deo in his demus (quantum ex hoc exemplo colligi potest), id quod superioribus etiam absurdius fuerit. Quinetiam aliquem audivi hujusmodi similitudinem adumbrantem. Fingebat splendorem quendam solarem parieti affulgentem, atque ex aquarum motu tremiscentem, quem cum radius per intermedium aërem susceperit, postea solido ac renitente corpore repressus, mirabilis quaedam subsultatio existit. Multis enim crebrisque agitationibus subsilit, ita ut non magis unum sit, quam multa, nec rursus magis multa, quam unum; ac tanta celeritate coït vicissim et dissociatur, ut prius quam oculis teneatur, fuga se proripiat.

33. Sed ne hoc quidem ipse constituere

possum: primum quoniam quid splendori illi motum afferat, admodum perspicuum est: at Deo nihil antiquius est, quod ipsi motum dederit. Ipse quippe omnium causa est, nec antiquiorem causam habet. Deinde quod hic earundem rerum suspicio occurrit, nimirum compositionis, diffusionis incertaeque et instabilis naturae, quarum nihil de Divinitate cogitandum est. In summa nihil est in quo mens mea gradum figere queat, dum, quod imaginor, in exemplis considero; ni forte quispiam ea animi aequitate sit, ut, cum unum aliquid ex proposita imagine acceperit, reliqua projiciat. Postremo itaque hoc mihi consultissimum visum est, ut, missis factis imaginibus illis atque umbris ut fallacibus plurimumque a veritate remotis, piam ipse cogitationem fidemque mordacius retineam, atque in paucis verbis insistens, duceque Spiritu sancto utens, quemque hinc splendorem accepi, hunc ad extremum usque tamquam fidum socium et familiarem [1]) custodiens, aevum hoc trajiciam, aliosque pro viribus adducam, ut Patrem et Filium et Spiritum sanctum adorent, unam Divinitatem ac potentiam: quoniam ipsi omnis gloria, honor, imperium in secula seculorum. Amem.

1) Familiarem, graece συνόμιλον.

# INDEX.


| | Pag. |
|---|---|
| Praefatio . . . . . | 1 |
| S. Joan. Chrysostomi hom. I. de incomprehensibili contra annomoeos . . . | 3 |
| Homilia II. . . . . | 22 |
| Homilia III. . . . . | 45 |
| Homilia IV. . . . . | 67 |
| Homilia V. . . . . | 87 |
| S. Gregorii Nazianzeni oratio theologica I. adversus eunomianos praevia dissertatio | 122 |
| Oratio theologica II. de theologia . . . | 140 |
| Oratio theologica III. de Filio . . . . | 204 |
| Oratio theologica IV. de Filio . . . . | 244 |
| Oratio theologica V. de Spiritu sancto . | 290 |
| Annotatio I. Chrysostomus visionem Dei in altera vita beatis non denegat . . . | 52 |
| Annotatio II. Divinitas Christi probatur ex Tit. 2, 13. . . . . | 94 |
| Annotatio III. de Dei ineffabilitate . . . | 104 |
| Annotatio IV. Chrysostomi effata contra confessionis necessitatem explicantur . . | 117 |
| Annotatio V. de angelis custodibus . . | 198 |
| Annotatio VI. Utrum Pater volens genuerit Filium . . . . . | 215 |
| Annotatio VII. de Prov. 8, 22. sec. LXX *Dominus creavit me* . . . . . | 246 |
| Annotatio VIII. de Joan. 17, 3 . . . | 271 |
| Annotatio IX. de Marc. 13, 32., quo sensu nesciat Filius Dei diem judicii | 276 |
| Annotatio X. Divinitas Spiritus s. probatur | 329 |


**A. M. D. G.**

Demnächst wird erscheinen das 2. Heft des 2. Bd. des Werkes:

**NOMENCLATOR LITERARIUS** recentioris theologiae catholicae theologos exhibens, qui inde a concilio tridentino floruerunt aetate, natione, disciplinis distinctos. Edidit H. Hurter S. J.

Dieses Werk ist in mehreren Zeitchriften anerkennend besprochen worden. So z. B. sagt die *Revue des Sciences ecclésiastiques*, herausgegeben von Dr. Hautcoeur im Januarheft 1875. S. 93: Nous sommes heureux d' annoncer la continuation d' un Ouvrage que la *Revue* a déjà fait connaitre (t. 28. p. 191), et dont le titre indique assez bien le contenu : Nomenclator literarius etc. On comprend de quelle utilité est pour les théologiens un pareil répertoire, exécuté avec un soin consciencieux, et pourvu de bonnes tables. Cette utilité est d' autant plus grande que le savant professeur offre toute garantie au point de vue de la science comme au point de vue des doctrines. Le Souverain-Pontife dans un Bref du 21 janvier 1874, a daigné s' exprimer ainsi, à l' ocasion de l' ouvrage même que nous annoçons : Probamus maxime, Dilecte fili, sedulam industriam quam confers ad sacrarum scientiarum studia juvanda, et ex iis quae de operis a te instituti ratione ad Nos scribis, necnon ex aliis egregiis argumentis quae jampridem habuimus tuae doctrinae ac pietatis, firme confidimus fore ut hic novus tuus labor in solidam utilitatem theologiae cultorum apprime proficiat.

**DE RATIONIBUS FESTORUM** Sacratissimi Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae e fontibus juris canonici erutis libri IV, auctore N. Nilles, S. J. editio IV., *saecularis.*

Eminentissimi et reverendissimi D. D. Cardinalis Principis Primatis Hungariae

Literae encyclicae ad venerabilem clerum Strigoniensem d. d. 12. Martii 1873.

Liber „de rationibus festorum SS. Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae" commendatur.

Cl. Nicolaus Nilles, S. J., ss. Theologiae Doctor et ss. canonum in C. R. Universitate Oenipontana professor p. o., scripsit et typis vulgavit librum „de rationibus festorum Sacratissimi Cordis Jesu et purissimi Cordis Mariae", in quo nihil eorum desideratur, quae ad illustrandum, fovendum et augendum cultum SS. Cordis Jesu, et purissimi Cordis Deiparae Virginis faciunt; quaeve de origine, vicissitudinibus, significatione, momento praedictorum festorum, ex actis fide dignis erui poterant; et in quo denique quum varia pietatis exercitia ad cultum SS. Cordis Jesu pertinentia occurrunt, tum auctores etiam praecipui recensentur, qui de eodem cultu scripserunt. Operis hujus inde ab a. 1867, quo illud primam lucem aspexit, tertia (jam quarta) nunc editio prodiit non in unico tomo, sed jam in duobus, unde oppido liquet, quanta illud incrementa coeperit ex solertia eruditissimi simul ac piissimi auctoris, qui materiam hanc prorsus exhausisse dicendus est.